MASTER NEGATIVE
NO. 93-81180-10

AUTHOR:

JOB, LEO

TITLE:

DE GRAMMATICIS VOCABULIS APUD...

PLACE:

LUTETIAE PARISIORUM

DATE:

1893

Master Negative #

93-81180-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Job, Leo

De grammaticis vocabulis apud Latinos; thesim ...proponebat Leo Job... Lutetiae Parisiorum, Bouillon, 1893.

179 p. 22½ cm.

Thesis, Paris.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-15-93 INITIALS M.D.C.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

GRAMMATICIS VOCABULIS

APUD LATINOS

THESIM

Facultati Litterarum Parisiensi proponebat

LEO JOB

UNIVERSITATI AD DOCENDAM GRAMMATICAM AGGREGATUS
IN NANCEIANO LYCÆO PROFESSOR

LUTETIÆ PARISIORUM
EDEBAT AEMILIUS BOUILLON
67, Via dicta Richelieu, 67

M DCCC XCIII

DE

GRAMMATICIS VOCABULIS

APUD LATINOS

NANCEII, TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SOCIORUM

DE

GRAMMATICIS VOCABULIS

APUD LATINOS

THESIM

Facultati Litterarum Parisiensi proponebat

LEO JOB

UNIVERSITATI AD DOCENDAM GRAMMATICAM AGGREGATUS

IN NANCEIANO LYCÆO PROFESSOR

LUTETIÆ PARISIORUM

EDEBAT AEMILIUS BOUILLON

67, Via dicta Richelieu, 67

M DCCC XCIII

DOCTISSIMO VIRO

BENIGNISSIMO STUDIORUM MEORUM FAUTORI

V. HENRY

GRATI ANIMI PIGNUS

Hoc opusculum

D. D. D.

L. J.

DE

GRAMMATICIS VOCABULIS

APUD LATINOS

PROŒMIUM

Licet inter humani ingenii inventa nullum fere magis invaluerit et latius pervulgatum sit, quam grammaticæ usus et ratio [1], quibus tamen ex primordiis quibusque incrementis ad tantam amplitudinem auctoritatemque processerit, non nescire plerique neglegunt. Hæ notiones enim, quibus nunc vel infimi ordinis grammatistarum libelli abundant quasque tenera ætate ad tenuissima litterarum principia accedentes cum ipso prope eloquio imbibimus, linguarum naturæ et scientiæ ita cohærere videntur, ut defuisse eas aliquando et multo demum multorumque labore erutas atque hominibus traditas vix credere possimus. Si quis autem consideraverit quam exilibus initiis apud sophistas, Platonem et Aristotelem inceperit grammatica, quanta felicitate quantis divitiis aucta sit a Stoicis, quanto ardore a quot doctis cum Græcis tum Latinis tractata, ad summum fere producta sit et perfecta; cum tamen sæpius et formas magis quam earum vim intimam ac potestatem illi digno-

1. Classen, *De Gramm. Græc. Primord.*, p. 1.

vissent, et in formis ipsis inter diversas species distribuendis haud satis subtilitatem vitassent luxuriosam, si quis observaverit quanto acumine et judicio ab illis sæculis quæ medium ævum appellamus ad nostram usque recentissimam ætatem illa sit elaborata, supervacuis impedimentis exonerata, ejusque ipso quasi animo introspecto et patefacto, ad fastigia philosophiæ evecta; qui in summa illud grammaticæ ædificium viderit, quomodo ab imis fundamentis ad id quod culmen nunc habetur constructum sit, is profecto et tantos tot præclarorum virorum conatus ad veritatem assequendam non mirari non poterit, et partem historiæ humani ingenii ediscet, qua nulla majoris est momenti majorisque utilitatis, ipsumque humanum ingenium in illa quasi divina loquendi facultate rectius altiusque cognoscet.

Tali materiæ parem edere historiam, magnæ quidem sit laudis, sed quantæ molis et industriæ ! Ego vero Horatiani præcepti memor et quid valerent umeri haud ignorans, in vocabulis tantum, quæ ad res grammaticas pertinent, studium collocare animum induxi. His ita aures et memoria nostra a pueris assuevere, ut, unde nobis veniant et quid sibi velint significentve, quærere parum curemus. Sed eorum originem et sensum explicare, si minoris laboris et artis, non nullius tamen esse utilitatis credidi. Rebus enim verba resonant quasi imagines, et hæc qui melius intelleget, in illis intellegendis aliquantum progressus erit. Unde saltem orta sint grammatica vocabula, quo sensu usurpata, ostendere, quid aliud nisi quadam adumbratione prima grammaticæ illius historiæ ducere lineamenta ?

In hoc autem libello vocabula tantummodo explanare suscepi apud Latinos usitata, ne uberiorem quam pro meo fine hodierno materiam amplecterer. Nec me fugit, si ad nostra gallica examinanda lectores invitassem, attentiores animos me habiturum fuisse. Sed hæc non explicari possunt, nisi excussis prius et illustratis græcis ac latinis. Latina autem tam vicina sunt, ut in iis jam nostra videamus, nec tantum a græcis dis-

crepant, ut, quomodo pleraque ab his assumpta sint, multo labore et multis verbis sit demonstrandum.

Nunc pauca de forma operis et rerum dispositione dicenda sunt. Vocabula poteram enumerare et in diversa genera distribuere, ut quæque sensu aut origine commune quicquam habent. Sed nuda hæc et exilis commemoratio mox fastidio fore visa est. Ea ratione præterea, quæ ad etymologiam attinent et vocabulorum inter se affinitates, clariore quidem tamquam luce illuminari, quæ ad sensum autem et usum, nisi sæpius eadem repeterem et iterarem, non enucleari posse credidi. Rerum ergo solitum ordinem grammaticarum tenere malui, et in singulis partibus omnia vocabula disquirere quæ usitata sint. Sic rem quamque suo ordine explicando ejusque historiam, quatenus opus erat, narrando, dictiones quid significarint, unde ortæ et a quibus usurpatæ sint, una ostenditur. Nec severæ illius esse fidei, quæ nostra studia decet, putavi, earum tantum mentionem facere quæ magnam auctoritatem obtinuere. Plurimas etiam minoris momenti et rarioris usus recensui, ideo non neglegendas arbitratus, quod facilius et pluribus exemplis per eas apparet, qua ratione sui juris res nominarint grammatici.

Hoc denique præmonendum est, quicquid de sensu et usu dicendum esse judicaverim, in corpore ipso operis exponi; multa vero quibus ostendatur, cujus generis sint vocabula, latinane an græca, communiane an grammatica, quomodo formata, in quas et quot species pro origine sua dividenda, in conclusionem reservari.

Libri postremo enumerentur, e quibus maximas percepi utilitates[1] :

Apollonii Dyscoli quæ supersunt, I (Ed. Schneider, 1878).
J. Classen, *De grammaticæ græcæ primordiis* (1829).
Dionysii Thracis *Ars grammatica* (Ed. G. Uhlig, 1883).

1. In hac enumeratione libros omitto, quos rarius usurpavi; cf. præsertim notas primi capitis paginis subscriptas.

E. Egger, *Apollonius Dyscole* (1854).
E. Egger, *Notions élémentaires de grammaire comparée* [1] (1875).
Sex. Pompei Festi *De verborum significatione*, quæ supersunt, etc. (Ed. C. O. Mueller, 1880).
O. Frœhde, *Die Anfangsgründe der römischen Grammatik* (1892).
A. Gellii *Noctes Atticæ* (Ed. M. Hertz, 1883-1885).
Græfenhan, *Geschichte der klassischen Philologie im Alterthum* (I-IV, 1843-1850).
Grammatici latini (Ed. Keil, I-VII, 1837-1880) et *Anecdota Helvetica* (1870, Ed. Hagen).
L. Jeep, *Zur Geschichte der Lehre von Redetheilen bei den lateinischen Grammatikern* [1] (1893).
L. Lersch, *Die Sprachphilosophie der Alten* (I-III, 1838-1841).
M. Fabii Quintiliani *De Institutione oratoria* (Ed. E. Bonnell, 1882, 1875).
R. Schmidt, *Stoicorum grammatica* (1839).
G. F. Schœmann, *Die Lehre von den Redetheilen nach den Alten* (1862).
H. Steinthal, *Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern*, etc. (2e Aufl., I-II, 1890-1891).
G. Uhlig, *Appendix Artis Dionysii Thracis* (1881).
M. Terentii Varronis *De lingua latina libri* (Ed. L. et A. Spengel, 1885).

1. Jam meum opusculum fere perscriptum erat, cum hunc librum legere potui, ut haud parvæ utilitati, sed ad mea tantum corrigenda, mihi fuerit.

De grammaticis.

Sed, antequam grammatica vocabula adeam, qui fuerint nobilissimi inter Romanos grammatici, quo tempore vixerint, quo vinculo inter se conectantur, et quid a quoque petiturus sim, ostendam oportet.

« Grammatica Romæ ne in usu quidem olim, ait Suetonius [1], nedum in honore ullo erat : rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate, necdum magno opere liberalibus disciplinis vacante. » Atque id non solum de illa præstantissima scientia intellegendum est, quæ humani sermonis leges perscrutatur, et ad philosophiam quodam modo pertinet; sed humilem ipsam grammaticam, quæ ad diversa vocabulorum genera distinguenda et recte usurpanda respicit, ne pueri quidem docebantur. Sive domi sive in litterario ludo [2] instituebantur, legere, scribere et numeros inire diu tantum didicerunt [3]. Hujus autem rei haud parvum id esse argumentum mihi videtur, quod de grammaticis priscorum Romanorum studiis nullum exstat vestigium nullaque fit commemoratio, nisi de litteris et orthographia.

Cum enim litterarum formas et ordinem a Græcis Romani accepissent, eas novis nominibus, per quæ vocales et consonantes et semivocales discernerentur [4], appellaverunt. Tum Appius Claudius Cæcus, consul a. 307 et 296 ante Christ., litteram Z ejecisse et R pro S in vocabulis, ut Valesius, Fusius, etc., induxisse dicitur. Paulo post, ejusdem fortasse

1. *De illustr. Grammat.*, 1.
2. Plauti *Mercat.*, II, 32.
3. E. Jullien, *les Profess. de littérat. dans l'anc. Rome*, p. 22 sqq.
4. Cf. infra, p. 49.

exemplo et patrocinio inductus, Spurius Carvilius libertinus, qui primus in ludo pueros pro mercede docuit, G litteram, linea ad C addita, invenisse narratur, eique in ordine litterarum locum dedisse, quem antea habebat Z, inter F et H (circiter a. 260 a. Chr.)[1]. Ennius (239-169), versu hexametro Romam introducto, cum syllabarum quantitatem certa distinctione notare opus esset, consonantes primus in scribendo geminavit[2]. Scipionem Africanum litteram O in E post V vertisse (*versus* pro *vorsus*, etc.) tradidit Quintilianus[3]. Ab antiquis grammaticis[4] cognoscimus Accium poetam (170-94) non « angues, angulos », etc., sed « aggues, aggulos » scripsisse[5], nec Z nec Y litteris usquam usum esse, vocalesque longas scriptura duplicari voluisse. Lucilium[6] denique, Aelii Stilonis[7] amicum, de orthographia et litteris adversus Accii præcepta disputavisse, ex reliquiis IX Satirarum libri concludendum est[8].

Nec quicquam aliud, quod sciam, memoratur, quo conjectari possit, Romanos usque ad Lucilium amplius rebus grammaticis studuisse. Immo ne Varronis quidem ætate ullum fere reperitur vocabulum grammaticum, quod non ex Græcis traductum sit; si qua res proprie latina est, nullo tamen proprio nomine insignitur : quod uno, sed gravissimo hoc exemplo demonstrare nunc satis erit, ablativum casum etiam tum vel sextum vel latinum a Varrone dici. Num vero dubitandum

1. Daremberg et Saglio, *Dict. des ant. gr. et rom.*, I, p. 217; Plutarq., *Quæst. rom.*, § 59; L. Havet, *Revue de philol.*, 1878, p. 15 sqq.
2. Festus, p. 293.
3. I, 7, 25.
4. Mar. Victor., K. VI, p. 8; Scaur., K. VII, p. 18.
5. Cf. L. Havet, *Mém. Soc. ling.*, IV, p. 276.
6. De vocabulis grammaticis, quæ apud Lucilium deprehendi, cf. Conclusionem, p. 161.
7. Cf. infra, p. 9.
8. Lucianus Mueller de IX libro hæc affirmat (*C. Lucili Satirar. reliq.*, p. 221) : « Singulas orationis partes ex ordine percurrisse puto Lucilium et quidem differentiis maxime verborum ac barbarismis et solœcismis, qui tum obtinebant, intentum, etc. » Quantopere Mueller erraverit, quod Lucilium de orationis partibus aliquam notionem habuisse credidit, ex iis quæ infra exponentur, manifestum fore spero.

est, quin, si paululum Romani grammaticæ incubuissent, casus saltem inter se distinxissent et sua quemque appellatione designavissent?

Non autem mirandum est, eos in elementis tam diu moratos esse, cum apud Græcos, Platonis ætate, grammaticæ summa in facultate legendi et scribendi posita sit, præcipuaque cura in litterarum natura dispicienda et earum generibus distribuendis et affinitatis ac discrepantiæ legibus explorandis impensa[1]. Eadem ergo grammaticæ initia fuerunt et apud Græcos et apud Romanos. Sed apud illos primum ad altiorem artem evecta est, philosophis et sophistis, Platone præsertim, Prodico, Protagora, Aristotele ejus regnum extendentibus. Primi autem Stoici, cum ab antecedentibus non nisi passim et obiter paucæ de lingua quæstiones attactæ essent, hanc scientiam intra philosophiæ suæ fines recipientes, per se ipsam tractandam excolendamque sibi sumpserunt, et, a vocis natura ac simplicissimis ejus elementis profecti, omnia vocabulorum genera inter se compararunt, distinxerunt, omniaque dicendi præcepta scrutati sunt. Inter illos vero Stoicos, grammaticæ studiosos, principem locum obtinuerunt Chrysippus, qui sub finem III sæculi ante Chr. ætatem duxit, Diogenes Babylonius, qui, cum Carneade et Critolao ab Atheniensibus in Urbem missus (155 ante Chr.), ostentandi causa magno conventu hominum dissertavisse et a P. Scipione Africano, C. Lælio, L. Furio aliisque permultis auditus esse dicitur[2], Crates denique, ejusdem Diogenis auditor, Pergamenæ scholæ lumen, quem primum grammaticæ studium Romam intulisse Suetonius opinatur[3]. « Qui missus ad senatum ab Attalo rege, inter secundum ac tertium bellum punicum, sub ipsam Ennii mortem[4], cum regione Palatii, prolapsus in cloacæ foramen, crus fregisset, per omne legationis

1. Classen, *De gram. græc. primord.*, p. 5.
2. Cic., *De Orat.*, II, 37, 154 sq.; Gell., VI, 14.
3. *L. c.*, 2.
4. 159 ante Christ. Cf. Jullien, *l. c.*, p. 339 sqq.

simul et valetudinis tempus plurimas ἀκροάσεις subinde fecit assidueque disseruit, ac nostris exemplo fuit ad imitandum. »

Quid autem discipulos docebat? Criticam grammatica contineri eum noluisse scimus, sed illam pro primaria arte duxisse, cujus grammatica, quæ unice in lingua explicanda versaretur, quasi ancilla esset[1]. Crates ergo non tam linguæ scientiam auditores docebat, quam veterum scriptorum explicationi, æstimationi et conservationi operam dabat : quod proprium criticæ munus est. Porro cum, ut Pergamenus et anomaliæ fautor, in rebus grammaticis consuetudini potius quam rationi obsequendum existimaret, eum sensui potissimum atque usui in vocabulis examinandis intentum fuisse verisimile est. Unde Cratetem ejusque discipulos scientiæ ei, quam nunc grammaticam appellamus, non tam multa contulisse arbitror esse concludendum. Qua de re iterum infra disseram; sed antea pauca de primis apud Romanos grammaticis dicenda sunt.

Hactenus, excepto Spurio Carvilio, quos nominatim commemoravi rerum grammaticarum studiosos fuisse, ii, aut in republica versati viri aut poetæ, secundas quasi partes his nostris studiis dederant eaque prætereuntes præstrinxerant. Post Cratetem demum homines vere grammatici sui memoriam reliquere. Hoc tamen præmonendum est, ne illo nomine in errorem inducamur, multo latiores, quam apud nos, tum fuisse grammaticæ fines, ut cui Cicero munera dederit poetarum pertractationem et explanationem, historiarum cognitionem, verborum interpretationem[2]. Caveamus igitur ne, si quis apud veteres grammaticus appelletur, eum nostræ scientiæ curam impendisse necesse esse credamus. Primos autem, quoscumque Suetonius enumerat quorumque fragmenta grammatica Egger[3] collegit, singulos percensere nullius sit utilitatis. Unum tantum, maximum nobilissimumque, eligam, ut, ejus imagine quadam adumbrata, quales fuerint ea tempestate

1. Classen, *l. c.*, p. 10.
2. *De Orat.*, I, 42, 187.
3. *Lat. sermon. vet. Rel.*, p. 1-67.

eruditissimi viri et litteris ornatissimi et quid grammaticæ ipsi atque in primis peculiari grammaticæ linguæ contulerint, nobis fingere possimus.

Princeps instruxisse et auxisse grammaticam, ut verba Suetonii referam, videtur L. Aelius Præconinus Stilo, eques Romanus, quem, cum amicum Lucilii poetæ eundemque Varronis et Ciceronis magistrum fuisse ferant, natum esse circiter a. 160 ante Christ., et ad summam senectutem vixisse credendum est[1]. Illum autem Stoicum esse voluisse testatur Cicero[2]; unde inter Cratetis discipulos adnumerandum eum colligo : non ut quidem Mallotam ipse audierit, quod temporum ratione fieri non potuit, sed disciplinam a Mallota in Urbem illatam secutus sit. Erudiendis adulescentibus operam dedit; sed, quantum ex ejus libris conjicio, quorum paucæ supersunt reliquiæ quique vix scimus quot fuerint et quo nomine inscripti, criticus potius et philosophus, quam grammaticus hodierno die diceretur[3]. Omitto orationes, ex quibus, nobilissimo cuique scriptis, Aelium cognomen Stilonis sibi peperisse perhibent. « Carminum » quidem « Saliarium interpretationem », « indicem Plautinarum comœdiarum », « librorum Metelli Numidici et Lucilii Satirarum recensiones » ad eam quam dicimus grammaticam nequaquam pertinere liquet. Jam in « commentario de proloquiis » Aelium diversa ἀξιώματα (gallice *propositions*) dialectico more percensuisse Gellii[4] testimonio concludi potest. « Cum in disciplinas *dialecticas* induci atque imbui vellemus, inquit, ... commentarium de proloquiis L. Aelii... quæsivimus. » At cum in eo nihil ad instituendum explanate scriptum repperisset Gellius, ad græcos libros se rediisse narrat, et enumerat definitque nonnulla ἀξιωμάτων genera, in quibus distinguendis non ver-

1. Cf. F. Mentz, *De Aelio Stilone*, in *Comment. Philol. Ienens.*, IV, 1890, p. 22 sqq.
2. *Brutus*, 56, 206.
3. De vita Aelii cf. Sueton., *l. c.*, 3, et Mentz, *l. c.*, p. 6 sqq.; de scriptis, Mentz, p. 17-22.
4. XVI, 8.

borum compositio, sed sententiæ sensus consideratur [1]. Restat liber ille etymologicus, ad quem (licet ejus nulla apud veteres mentio exstet) Mentz omnia fragmenta refert, quæ ad vocabula explananda respiciunt, neque in carmina Saliaria quadrant. Atque illum librum ita putat « institutum fuisse, ut Aelius multa verba aut rara aut obsoleta colligeret, et partim etymologia, partim exemplis undique litterarum sumptis, partim utraque ratione illustraret. Glossographicum igitur videtur fuisse opus [2]. » Fieri quidem potuit, ut aut in ejusmodi libro, aut in Saliarium carminum explanatione res grammaticæ tangerentur, velut in hoc loco Charisii [3] : « Ferocior tam quam pejor melior ait Stilo in *eis* accusativo posse proferri, ferocioreis. Ferientium ferienteis idem Stilo putat facere debere, ut docenteis saltanteis, quoniam quæcumque secum verbi jura traxissent, ea accusativis pluralibus, adjuvante dumtaxat genitivo plurali, in *eis* sonarent. » Sed ut talia tractaret, non penitus linguæ leges introspexisse Aelium, ne grammaticis quidem vocabulis uti opus fuit [4]. Quod enim Charisius accusativum, pluralem, genetivum in hoc loco usurpavit, non inde colligi potest Stilonis ætate has appellationes in usu fuisse, quæ, prima excepta, apud Varronem non deprehendantur.

Aelii Stilonis igitur ejusque æqualium, Nicanoris, Aurelii Opilii, Antonii Gniphonis, aliorum [5] ea fuisse opera credo, ex quibus, etiamsi integra ad nos pervenissent, non multa haurire potuissem ad hunc libellum de grammaticis vocabulis. In summa ceteroqui, si soli in litteris regnavissent Cratetei, nescio an longius non progressa esset grammatica. Etenim ad poetas interpretandos emendandosque, cum consuetudinem

1. Miro modo consentit Gellius cum Diogene Laertio, Chrysippi aliorumque Stoicorum placita exponente (VII, 63 sqq.).
2. *L. c.*, p. 21.
3. K. I, p. 129 sq. Cf. Egger, *l. c.*, p. 11; Mentz, p. 29.
4. Cf. hunc Verrii Flacci locum (Fest., p. 286) : « Recipie apud Catonem, pro recipiam, ut alia ejusmodi complura. » V. infra, p. 17 sqq.
5. Cf. Teuffel [3], n° 159.

pro regula respicerent, exempla colligere ac depromere satis habebant; et, si forte in grammaticas quæstiones interdum inciderent, non ideo induci poterant ut inde corpus quoddam, veram disciplinam scientiamque efficerent. Aristarcheos contra, cum grammaticam per se ipsam tractarent et omnia ad rationem appellarent, penitus linguam observare, vocabula inter se componere et in diversa genera distribuere ut regulas et præcepta ponerent, grammaticam denique ad perfectam quandam artem evehere necesse erat [1]. Itaque apud Græcos « technica » grammaticæ lingua, cum philosophis nata, per Stoicos adulta, ab Alexandrinis demum consummata quasi et absoluta est. Peculiaris enim cujusque artis aut scientiæ lingua eadem fortuna, qua ipsa ars aut scientia, uti solet, nec nisi earum opibus et incrementis ditescit et progreditur, cum ea tantum proprio nomine ornentur, quæ plane noscantur et definiantur.

Quo tempore apud Romanos Aristarchei primum valuerint, decerni non potest. Hoc saltem certum esse videtur, Dionysium Thracem, Aristarchi discipulum, qui primus artem grammaticam edidit, qua « technici termini » enucleate explicarentur et in unum quoddam corpus redigerentur, Romæ Magni Pompeii ætate pueros suam doctrinam docuisse [2]. Nec dubitari potest, quin Dionysii disciplina cum illo libello, quem servatum habemus, omnino consentanea fuerit [3]. Pompeii ergo tempore demum perfecta quædam in rebus grammaticis Græcorum lingua Romam vere introducta est. Atque in hoc meo libello ea fere una quæstio re ipsa tractabitur, quo-

1. De contentionibus inter Crateteos et Aristarcheos disserere supersedeo. « Nobis quidem, ut verum fateamur, tota ista disceptatio vix tanto hiatu digna esse videtur, nec satis intelligimus, quomodo in ista re tam ampla certandi materies posita sit. » (Classen, *l. c.*, p. 80.)
2. Cf. Chassang, *la Grammaire de Denys de Thrace, Annuaire de l'Assoc. p. l'encourag. des ét. gr. en Fr.*, 1877, p. 173; O. Frœhde, *Die Anfangsgründe der rœm. Gramm.*, p. 16.
3. De auctoritate et effectu hujus libelli, qui regnavit in scholis græcis a primo a. Chr. sæculo usque ad XII p. Chr., ex quo tot in artes grammaticas a Varrone usque ad Donatum et Priscianum, et per Donatum ac Priscianum usque ad medium ævum et nostrum etiam tempus manaverunt, cf. G. Uhlig, *Dionys. Thrac. Ars Gramm.*, Prolegom., p. VI sq.

modo hanc linguam, a Dionysio allatam, Romani a primo p. Chr. sæculo traduxerint et auxerint. Eam tamen non confestim in litteris latinis regnavisse, sed paulatim in eas irrepsisse verisimile est; nec prius omnino in usum venisse credo, quam ars grammatica quæ dicitur a Romano Romanis composita fuerit[1]. Interea, cum omnes fere libri grammatici seu de analogia et anomalia, seu de usu, sensu et etymologia latinorum vocabulorum scriberentur, nec multis nec inter se congruentibus « technicis terminis » opus erat, neque plures quam opus erat e græco fundo assumptos esse putandum est.

His præmissis, ad illustrissimos Ciceronis ætatis grammaticos transeo. Inter quos principem locum tenet M. Terentius Varro (116-27) et numero et varietate et amplitudine operum. Non aliud tamen quam quæ philosophi et grammatici de græca lingua elaboraverant, retractata quidem, correctaque ut in latinam quadrarent aliisque exemplis illustrata, sed fere in eo tantum sua ipsius opera amplificata, quantum fieri potuit, cum civibus communicavit. Temporum vero ratione Varro primos libros (circiter 85 a. Chr.) composuit « de antiquitate litterarum » inscriptos, quibus de inventione et propagatione litterarum exposuit[2]. Hi ad historiam pertinebant, ut tres « de origine linguæ latinæ » (quo tempore scripti sint, dici non potest), in quibus primordia et progressus patrii sermonis persecutus est[3]. Hæc autem duo opera neque altas grammaticas notiones neque multa vocabula grammatica requisisse perspicuum est. Omnis operis « de lingua latina » tres partes se fecisse profitetur ipse Varro[4], primam (II-VII) de etymologia, alteram (VIII-XIII) de declinationibus, id est de derivatione, declinatione et conjugatione, tertiam de verborum compositione vel syntaxi. E tertia pauca tantum, eaque sparsa ac minuta, fragmenta supersunt. E prima alteraque

1. Vide infra, p. 19 sq.
2. Cf. Wilmanns, p. 117 sqq.
3. Id., p. 126 sqq.
4. VII, 110. Primus liber exceptus est, ut procemium.

libri nonnulli, fere integri, ætatem tulerunt. Qui vero de declinationibus agunt (VIII-X), ii pæne uni in quæstionem nostram cadunt, sæpiusque infra laudabuntur. At cum ea, quæ ad grammaticam Varronis doctrinam aut linguam in illis attinent, singula suo loco tractentur, hic quædam in universum præmonere satis erit. Non id fuisse operis totius consilium videtur, ut singulas grammaticæ partes ac notiones recensere, definire, persequi auctor debuerit[1]. In libris certe servatis nihil fere in quæstionem vocatur, nisi quod analogiam aut anomaliam quodam modo contingit. Multa itaque e disciplina grammatica deesse necesse est. In iis vero quæ explorantur, non tam multa ex Aristarcheis et e Dionysio Thrace, quem tamen audisse vel legisse temporum ratione potuit, hausisse Varro videtur. Inde fit ut tantum et in tot rebus a posterioribus differat. De vocabulis autem grammaticis notandum est multa quoque desiderari, quæ postea in usu futura erant, sive quod res ipsas in locis servatis non tractavit, sive quod rebus tractatis appellationes proprias non dedit : quod fit non solum in rebus a græca grammatica alienis, ut ablativo casu aut verbis deponentibus, sed in iis etiam quas apud Dionysium definitas et nomine insignitas reperimus (verborum modos, etc.). Vocabula vero ipsa, quæ apud eum deprehenduntur, non semper eadem sunt quæ posteriores usurpaturi erant (genus muliebre, multitudinis numerus, impositicia verba, etc.). Unde concludi posse arbitror Varronem non secutum esse aliquem res grammaticas nominandi morem ab antecedentibus viris, earundem studiosis, constitutum traditumque (cur enim post eum non mansisset ?), quem morem alioqui tum temporis fuisse parum verisimile est, sed hæc

1. Tam neglegenter res grammaticas tractat, ut VIII libro, 44, duæ partium orationis divisiones, inter se non congruentes, sese excipiant. « Dividitur oratio secundum naturam in quattuor partis, in eam quæ habet casus et quæ habet tempora et quæ habet neutrum et in qua est utrumque. Has vocant quidam appellandi, dicendi, adminiculandi, iungendi. Appellandi dicitur ut Homo et Nestor, dicendi ut Scribo et Lego, iungendi ut Que, adminiculandi ut Docte et Commode. » Jungendi autem et adminiculandi partes ambæ nec casus nec tempora habent.

nomina ex auctoribus Græcis suis ipsum assumpsisse, et in latinum sermonem transtulisse[1]. Ea utique ætate parum definitam ac rudem linguam Romanorum grammaticam fuisse apparet. Libros autem « de latina lingua », quos in manibus habemus, non ante 45, nec post 43 a. Chr. editos esse Wilmanns manifestum fecit[2].

In iis vero[3], qui « de similitudine verborum » et « de utilitate sermonis » inscripti erant[4], cum in utroque unam earum quæstionum, quas in libris « de lingua latina » generaliter exposuerat, accuratius tractaret, eandem disciplinam eandemque res grammaticas appellandi consuetudinem tenuisse Varronem perspicuum est. Neque aliter de duobus reliquis operibus opinor, libris scilicet « de sermone latino[5] » et « de grammatica ». Quamquam, cum in illo, post a. 44 ante Chr. edito, de voce, litteris ac syllabis, accentibus et metris[6] ageretur, hoc autem et præcipua grammaticæ capita in usum discentium explicata contineret et extrema Varronis ætate, ad summum facultatibus ingenii scientiaque ejus progressis (a. 33), absolutum sit[7], facile conjectari potest, si non periissent, futurum fuisse ut auctoris doctrina latius patere et grammatica lingua aliquanto ditior esse videretur. Collegit quidem Wilmanns[8] non paucas ex perditis Varronis libris reliquias, quas e grammaticis posterioribus excepit. Ex his autem nihil fere ad libellum meum hausi, quia in referendis auctoribus suis posteriores artigraphos persuasum habeo, excepto Charisio, parum fideles fuisse et sensum potius quam ipsa verba reddidisse.

Juxta Varronem et temporum ratione (præturam a. 58 gessit)

1. Nonnunquam quoque res grammaticas per similitudinem ac metaphoram sine Græcorum auctoritate nominat. Cf. Conclus., p. 162.
2. *L. c.*, p. 37 sqq.
3. Omitto « Ἐπιτομὴν de lingua latina », quam non nisi ex Hieronymi indice novimus, quæque, num a Varrone scripta sit, dubito.
4. Hæc vero opera quo tempore composita sint, erui non potest.
5. Hujus pariter operis tempus non definitur.
6. Wilmanns, p. 47-97.
7. Id., p. 98-117.
8. P. 141-223.

et eruditionis amplitudine exstitit Nigidius Figulus[1], qui undetriginta minimum libros « commentarii grammatici » inscriptos, singulos fortasse e multifaria observationum farragine compositos, edidit. At quamvis doctissimus fuerit et summæ doctrinæ famam retinuerit, non magnam apud veteres grammaticos auctoritatem habuisse videtur[2], ita ut haud multæ, eæque fere apud unum Gellium, « commentariorum » reliquiæ reperiantur. In his perpauca grammatica vocabula insunt, quæ modo eadem sunt quæ Varro usurpavit[3], modo ab ejus differunt. Qua re manifestum fit parum certam fuisse ea ætate linguam grammaticam et scriptores sæpe græca vocabula ex arbitrio suo ac libidine traduxisse.

Varronis et Nigidii æquales, Tironem, Ciceronis libertum, Valerium Catonem, Atteium Philologum, alios, quorum nomina apud Suetonium[4] invenias, omittere licet, cum nihil fere nisi sui memoriam reliquerint, cumque obscurum sit quid vel num quid grammaticæ disciplinæ ac linguæ contulerint : nisi forte putandum est, majorem eos adepturos fuisse famam et auctoritatem, si eorum studia et inventa laude digna fuissent.

Sed silentio præteriri non potest C. Julius Cæsar, « Romanorum facile maximus, qui ut reipublicæ Romanæ et totius fere terrarum orbis, annorum et dierum, ita linguæ latinæ exstitit legumlator[5]. » Gravissimorum virorum, quos antea nominavi, vestigia secutus, quibus non indignum visum erat grammaticis rebus operam navare, ille atrocissimo bello Gallico occupatissimus (55 a. Chr.) ac fere inter tela volantia, classica et tubas, ut verbis Frontonis utar, duos « de analogia » libros scripsit, ut, rejecta consuetudinis regula, ac ratione tamquam obrussa adhibita, certas sinceræ latinitatis leges et

1. Cf. Hertz, *De P. Nigidii Figuli studiis atque operibus* (1845), præsertim, p. 9-23; Swoboda, *P. Nigidii Figuli operum reliquiæ* (1889), præsertim, p. 3-24, 67-82.
2. Cf. Kretzschmer, *De A. Gellii fontibus*, I (1860), p. 57.
3. Fortasse quia in iis Varronis auctoritatem Nigidius sequebatur (cf. Swoboda, *l. c.*, p. 17).
4. *L. c.*, 9-17.
5. Schlitte, *De C. Julio Cæsare grammatico* (1865), p. 1.

quasi militarem bene dicendi disciplinam constitueret. His quidem libris apud veteres magna auctoritas adjuncta est; quæ ipsisne an Cæsaris nomini data sit, in incerto manet. Pauca enim eorum fragmenta supersunt[1], quia, si Beckio creditur[2], Plinius in libros « dubii sermonis » tot locos ex Cæsaris opusculo recepisset, ut posteri libellum ipsum inspicere destitissent. Ceterum nullum grammaticum vocabulum ex his fragmentis deprompsi, ut quæ ex opere primigenio in Plinium, ex Plinio in posteriores artigraphos per vices particulatim manando primam puramque suam formam servavisse non credendum sit. Neque vocabula, quæ ad meum propositum attinent, tam multa in libris Cæsaris fuisse confido : primum quia, ut de Varrone supra notavi, non id operis consilium fuisse videtur, ut singulæ grammaticæ partes recognoscendæ et perscrutandæ essent; deinde quod, cum tunc temporis lingua grammatica rudis adhuc et a cotidiano usu aliena esset, neque grammaticus grammaticis, sed urbanus et elegans elegantibus hominibus Cæsar scriberet, rara et ludimagistrum redolentia vocabula, quantum fieri potuit, vitavisse eum verisimile est, qui profitebatur, ut scopulum, sic fugiendum inauditum atque insolens verbum[3].

Ciceroni Varro libros V sqq. « de lingua latina », Cæsar « de analogia » opusculum dedicaverunt, eumque grammaticæ ut ceterarum litterarum studiosum fuisse constat. Perpauca tamen vocabula grammatica apud eum inveniri non mirum est, neque de illo oratore mentionem hic fecissem, nisi quis grammaticum libellum ab eo compositum esse contendisset[4]. Orelli quidem in vetere quodam indice librorum Ciceronis « de orthographia » inscriptionem se vidisse narravit, et in nonnullis de genere litterarum[5] ac de ortho-

1. Lersch, *Sprachphil.*, I, p. 132-139; Egger, *Lat. Serm. Rel.*, p. 41-46; Schlitte, *l. c.*, p. 13-36.
2. Fleckeisens *Supplem.* (1893), p. 6.
3. Gell., I, 10; Macrob., *Satur.*, I, 5.
4. Schlag, *Cicero, Verfasser einer gram. Schrift* (1888).
5. Cledon., K. V, p. 26; Pomp., K., V, p. 111.

graphia[1] quæstionibus ejus auctoritas appellatur. Sed quam levia sint hæc argumenta liquet. Quid vero de sequentibus dicam? Schlag enim ut *testimonia* hos locos refert : « Itaque hercule in *libris* Ciceronis deprehendere licet, non geometriæ, non musicæ, non *grammaticæ*, non denique ullius ingenuæ artis scientiam defuisse. » (*Dial. de Orat.*, 30.) — « Sed nihil ex grammatica nocuerit, nisi quod supervacuum est. An ideo minor est M. Tullius orator, quod idem artis huius diligentissimus fuit, et in filio, ut epistolis apparet, recte loquendi asper quoque exactor? aut vim C. Cæsaris fregerunt *editi* de analogia *libri?* » (Quintil., I, 7, 34.) Quid clarius et ad probandum efficacius afferre possit, qui a Cicerone nullum grammaticum librum editum esse manifestum facere velit? Quod autem nonnulli « technici termini » apud eum inveniuntur, inde colligi potest eos tunc in usu communi fuisse.

Verrium Flaccum[2] accepimus Augusti temporibus ita inclaruisse, ut ab ipso principe nepotibus ejus præceptor electus, cum tota schola in Palatium transiret. Porro et plures libros grammaticos, « de orthographia » scilicet, « de obscuris Catonis », alios, qui perierunt, composuit, et scripsit opus « de significatu[3] verborum » ingenti librorum numero, omnis doctrinæ plenum, antiquissimis optimisque fontibus ita usus, ut singulari eruditione et ingenii acumine clarissimis inter Romanos et fere inter Græcos philologis haud impar videatur. Tum ex eo tanti momenti opere præcipua excerpsit Pompeius Festus, quorum excerptorum pars ad nos pervenit; ex Festinis iterum Paulus epitomen fecit, quæ ætatem tulit. Verrii ergo non conjectura tantum, sed vivis adhuc ingenii ejus monumentis imaginem veram nobis effingere

1. Quintil., I, 4, 11; Victor., K. VI, p. 18.
2. Cf. Suoton., *l. c.*, § 17; C. O. Mueller, *Sexti Pompeii Festi de verborum significatione* (1880), præfat.; Hoffmann, *De Festi de verborum significatione libris quæstiones* (1886); Reitzenstein, *Verrianische Forschungen*, in *Breslau. philol. Abhandl.* I (1887); Gœtz, *Berl. Philol. Wochenschr.* (1887), col. 1149 sqq.; O. Frœhde, *De Nonio Marcello et Verrio Flacco* (1890).
3. Sic Gellius, V, 17.

licet. Sed verba notatu digna, secundum litteras disposita, plerumque vel historia, vel etymologia, vel exemplis ex illustribus scriptoribus desumptis interpretatur. Ipsa etiam, quæ non nisi grammaticæ auxilio explanari possunt, sæpe nullo grammatico vocabulo adhibito, apposito tantum alio, usitatiore et recentiore verbo, explicantur. Ex. gr. : « Recipie apud Catonem, pro recipiam, ut alia eiusmodi complura » (p. 286). « Sum pro eum usus est Ennius, etc.[1] » (p. 298). « Sultis, si voltis, etc. » (p. 301). « Superescit significat supererit, etc. » (p. 302). Quos tamen « technicos terminos » apud Festum repperi, eos Verrio vindicavi, ratus Festum plerumque aut ipsa sui auctoris verba rettulisse, aut, quæ ipsi minus scitu utilia videbantur, recidisse, sed rarissime de suo addidisse[2]. De Paulo[3] autem aliam rationem secutus sum, quamquam eum ipsa Festi verba in brevius redacta reddidisse Mueller[4] opinatur. Sed quantum Festus et Paulus in vocabulis grammaticis usurpandis inter se differant his locis satis apparebit. Festus, p. 181 : « Ocius *secundæ collationis,* et deinde *tertiæ* occissime frequentata sunt. (Alii dictas nostros?) tracta ex Græco, id est ὠκέως, cuius *prima significatio,* ex qua procedere in comparationem debet, apud nos non est, etc. » Paulus, p. 180 : « Ocius et ocissime *positivum* Latinum non habent, sed ab eo veniunt, quod est in Græco ὠκέως. » Festus, p. 286 : « Repulsior *secunda conlatione* dixit Cato, etc. » Paulus, p. 287 : « Repulsior Cato dixit *comparative* a repulso[5]. » Nullam ergo Paulo fidem tribuere de vocabulis grammaticis licet. His causis perpauca Verrii vocabula in hoc libello citantur : quæ suo loco invenientur. Vide tamen infra[6] quæ de masculino et feminino dicuntur, ut plane intellegas quam in-

1. Ubi « etc. » pono, apud Festum proferuntur exempla.
2. Mueller, Præfat., p. xxxi.
3. Christianæ ecclesiæ sacerdos et Carolo Magno æqualis fuit.
4. *L. c.*, p. xxxii.
5. Cf. comparativum, p. 61, 123.
6. P. 60.

certa[1] tunc temporis fuerit lingua grammatica, quamque serviliter Græcos in ea instituenda Romani imitati sint. Exemplo præterea Verrii fretus, antiquos grammaticos, qui eodem consilio scripsere, id est ut verborum usum, sensum et originem illustrarent (neque aliud plerique sibi proposuerunt), quique non grammaticas notiones definire et enucleare voluerunt, « technicos terminos » raro usurpavisse arbitratus sum. Cujus rei causa fuit quod multi « termini » adhuc latinæ linguæ deerant, et ex iis qui jam a quibusdam ex Græco in Latinum traducti erant, multi in communem usum nondum venerant.

Sed linguam grammaticam et certiorem et ditiorem paulatim in annos tum factam esse, quamquam in naufragio plerorumque scriptorum hujus ætatis nullo firmo argumento demonstrari potest, si solitum rerum humanarum cursum respicias, affirmare audeas. Immo contendam non minus effecisse ad eam confirmandam et extendendam humiles grammaticos obscurosque ludimagistros, qui pueros instituebant, quam illos doctissimos præclarissimosque viros, quorum nomen ingeniumque ad sempiterni memoriam temporis celebrabitur. Illos enim ad grammaticam docendam Dionysii Thracis libello usos esse constat[2], neque dubitari potest, quin sæpius auctoris sui doctrinam ad latinum sermonem accommodarint technicaque quæ dicimus vocabula in usum discentium traduxerint. Per eos itaque, credo, mos ille certis appellationibus res grammaticas nominandi, quem antea defuisse jam observavi, tandem constitutus est et traditus. Neque plane Uhligio[3] assentior dicenti « primo post Chr. n. sæculo *unum* artigraphum .... totam (Dionysii) technen in usum suum convertisse, ita tamen ut permulta omitteret, adderet, corrigeret, corrumperet », sed multorum opera hoc effectum esse habeo persuasum.

1. Plurimorum hominum doctorum judicio Verrius libros Varronis de Lingua Latina omnino non adhibuit.
2. Jullien, *l. c.*, p. 215.
3. *Appendix*, etc., p. xiv.

Illud autem quasi commune opus primus litteris mandavit Remmius Palæmon, cui inde laus grammaticæ alicujus apud Latinos linguæ absolutæ fere et consummatæ fortasse debetur. Mulieris verna, ille herilem filium dum comitatur in scholas, litteras didicerat; postea manumissus, Tiberii et Claudii temporibus docuit Romæ ac principem locum inter grammaticos tenuit[1]. Provecta jam ætate, inter a. 77 et 87 post Chr.[2] artem grammaticam vel scripsit vel edidit, in qua C. Plinii Secundi « dubii sermonis » libros et doctrinam pluribus locis laudavit[3]. Quanta mox in auctoritate liber ille fuerit vel uno hoc Juvenalis versu demonstrari potest :

. . . . Odi
Hanc ego quæ repetit volvitque Palæmonis artem[4].

Non majore profecto gratia usus est apud æquales suos noster VAUGELAS ; sed quanto plus valuit apud posteros Remmius Palæmon ! Omitto Quintilianum, quem fuisse ejus discipulum mox commemorabo. Artem vero Palæmonis, statim in scholis usurpatam, inde a II post Chr. sæculo usque ad extrema tempora imperii romani nemo fere grammaticus fuit, quin adiret, excerperet, compilaret. Ab ea Scaurus[5], Romanus[6], Cominianus[7], Charisius, Donatus, Diomedes, Probus minor[8] mutuati sunt, aliique grammatici, si qui Palæmonis librum ipsi sua manu non evolverunt, e fontibus tamen hauserunt, qui ab eo derivabant. Atque hæc ipsa causa fuit, cur Remmiana ars ad nos non perveniret. Nam cum Palæmonis præcepta in libros posteriorum artigraphorum fluxissent, ad primum fontem recurrere supervacaneum vi-

1. Sueton., *l. c.*, 23.
2. Marschall, *De Q. Remmii Palæmonis libr. grammat.* (1887), p. 83 sq. Aliter Nettleship, id est inter a. 67 et 77 : cf. Bursian, *Jahresbericht*, LXVIII (1892), p. 135.
3. Marschall, *l. c.*, p. 83.
4. Sat. VI, 452.
5. Cf. Meyer, *Quæst. grammat. ad Scauri artem restituend. spectant.* (1885).
6. Marschall, *l. c.*, p. 44, 53, 54 sq.
7. Id., p. 60.
8. K. V, p. 335 sq., 407.

sum est, nec jam a doctis adhibita ars magistri periit. Opusculum enim quod habemus « Palæmonis ars » inscriptum a quodam infimæ ætatis sciolo neglegenter compositum esse non jam demonstrandum est[1]. Nec tamen omnino nescimus quale fuerit Palæmonis opus. Nam inter ejus compilatores unus saltem, Charisius, auctorem suum nominavit et, ut videtur, fideliter excripsit. Quare his proximis annis multi sese ad laborem accinxerunt et Charisii, Diomedis, Dosithei, aliorum opera perscrutantes, investigarunt quæ a Palæmone, quæ ab aliis veteribus grammaticis posteriores deprompsissent. Sic quæ fuerit Palæmonis lingua « technica » quodam modo definiri potest. Sed doctos quos commemoravi scrutatores incaute sequi magnæ sit imprudentiæ. Etenim, dum ad eum grammaticum, de quo quærunt, quam plurima referre student, facile ad id ducuntur, ut plura ei attribuant, quam cum veritatis specie liceat. Inde fit ut inter se minime consentiant, velut, ut exemplo utar, Charisii caput I, 15, CHRIST Capro tribuit, MARSCHALL Palæmoni, Romano magnam partem deberi alii contendunt, negant alii[2]. Atque eo magis de Palæmone cavendum est, quod ejus ars ad usum scholarum singulis sæculis non accommodari non potuit, id est omnibus modis corrumpi. Itaque in vocabulis Palæmoni attribuendis hanc legem mihi imposui, ut in censum ea tantum vocarem, quæ certis veterum testimoniis ab eo usurpata fuisse affirmari posset, re ipsa fere quæ a Quintiliano adoptata sunt aut in his locis Charisii deprehenduntur, quibus Palæmon nominatim laudatur[3]. Quæ vocabula pleraque usque ad Priscianum in usu manserunt, ut conjectari possit eam fuisse

1. Keil V, p. 528.
2. « Maxime in hoc genere nuper erravit Marschallius, qui, in dissertatione de Remmii Palæmonis libris grammaticis inscripta, Charisii primos tres libros totos fere Palæmoni vindicat. » (G. Keil, *Dissert. Philol. Halens.* X, p. 279, i. n.)
3. Schottmueller (*De C. Plinii Secundi libr. grammat.*) observavit Palæmonis eam loquendi consuetudinem fuisse, ut exemplis aut a scriptoribus petitis aut ab ipso fictis « velut » conjunctionem persæpe præponeret. Inde quidam loci apud Charisium sine nomine auctoris Palæmoni a Schottmuellero et aliis attribuuntur. De qua opinione v. infra, p. 98 sq.

Palæmonis « technicam » linguam, cui in posterum pauca mutarentur, aliquot vero, ditescentibus grammaticis notionibus, adderentur[1].

Quid autem Palæmon grammaticæ scientiæ et linguæ contulisset, perspicuum plane esset, si haberemus æqualis viri opus, cui magna apud posteros auctoritas data est, C. Plinii Secundi scilicet « dubii sermonis » libros[2]. Quos numero octo Plinius Cæcilius[3] narrat scriptos esse « sub Nerone, novissimis annis, cum omne studiorum genus paulo liberius et erectius periculosum servitus fecisset », id est a. 67 post Christum[4]. E consensu autem virorum, qui de his quæstionem habuerunt, et e fragmentis, quæ ad nos pervenerunt, colligi potest, Plinium omnes fere grammaticæ artis partes tractavisse. Eum porro cum plurimos scriptores rerum, oratores, poetas inde ab antiquissima ætate pervestigasse, tum omnium fere grammaticorum ac litteratorum et Græcorum et Latinorum, qui rebus grammaticis operam navassent, præcepta sub examen vocasse, sed potissimum Varronis ac Cæsaris vestigiis institisse constat. Ex eo autem hauserunt Palæmon, Flavius Caper, Julius Romanus et seu per se ipsi, seu per præcedentes grammaticos omnes fere artigraphi usque ad Priscianum. At rara tantum et minuta supersunt ejus fragmenta, quæ sincera incorruptaque ad nos pervenisse affirmare possis, ut, licet doctrinam Plinii de multis quæstionibus cognoscamus, perpauca grammatica vocabula ex eo in hunc libellum assumpserim[5]. Nolui enim a via deflectere, quam me secutum esse de Palæmone professus sum, nec ingeniosis

1. Non plura hic de vocabulis Palæmonis ; quæ si perlustrare velis, vide indicem auctorum s. Palæmone et conclusionem, p. 162 sq.

2. Cf. præsertim Lersch, *Sprachphil.*, I, p. 150-152, 179-201 ; II, p. 157 sq. ; Schottmueller, *De C. Plinii Secundi libr. gramm.*, Part. I (1853) ; Neumann, *De Plinii Dubii Sermonis Libris, Charisii et Prisciani fontibus* (1881) ; Schlitte, *De Plinii Secundi stud. grammat.* (1883) ; O. Frœhde, *De C. Julio Romano*, etc. (1892), p. 617-632 ; Id., *Valeri Probi de nomine libellum Plinii Secundi doctrinam continere demonstratur*, in *Fleckeisens Supplem.*, XIX (1893), p. 159-203 ; in eodem volumine Beck, *Studia Gelliana et Pliniana*, p. 3-46.

3. Epist., III, 5.

4. Marschall, *l. c.*, p. 3.

5. Pleraque apud Charisium deprehendi, K. I, p. 116-147.

sed nondum ab omnibus approbatis argumentis inductus, dubia illi auctori vindicare. In lingua vero « technica » num cum Palæmone consenserit, aut quid inter duos illos æquales grammaticos, pariter doctissimos ac nobilissimos, interfuerit, dijudicari, quod maximi sit ad meum propositum momenti, testimoniorum penuria non potest.

Eodem sæculo, quo Palæmon et Plinius, ætatem duxit M. Valerius Probus Berytius. Illum dicit Suetonius[1] ante omnia scriptores latinos emendavisse, distinxisse, adnotavisse, neque ulli alii grammaticæ parti esse deditum ; paucos addit ab eo admissos esse sectatores, quibuscum quædam legeret, idque perraro ; nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quæstiunculis edidisse ; sed reliquisse non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui. At Gellius[2] multos commentationum libros Probi se legisse profitetur. Tum apud Charisium[3] Romanus ejusdem citat librum « de inæqualitate consuetudinis » inscriptum, multique alii grammatici Probum nominant. Exstant denique plures libelli a Keilio initio V voluminis Latinorum Grammaticorum sub nomine Probi editi[4]. His e contrariis testimoniis nata est disceptatio. Suetonii enim auctoritate nixus, Beck contendit Valerium Probum grammaticum opus longius breviusve scripsisse nullum[5] ; omnia vero quæ a sæculo IV critico illi tribuantur vel tribui videantur, ex parte majore aut errore aut neglegentia aut imperitia grammaticorum posterioris ætatis Probi Berytii speciem præbere, re vera ex aliis fontibus fluxisse[6]. Kübler[7] autem, Goetz[8], alii, huic opinioni adversantur, ita tamen ut concedant libros grammaticos, qui nomine Probi ferantur, a recentiore artigrapho, IV verisimi-

1. *L. c.*, 24.
2. XV, 30.
3. K. I, p. 198.
4. Cf. infra, p. 35 sq.
5. *De M. Valerio Probo Berytio*, etc. (1886), p. 20.
6. Id., p. 5 sq.
7. *Berlin. Philol. Wochenschr.* (1887), col. 1370.
8. Bursian, *Jahresb.* LXVIII, p. 136.

liter sæculi, compositos esse. Plerique vero arbitrantur ex illa silva observationum, quam Berytium reliquisse Suetonius testatur, ejus sectatores excerpsisse, unde commentationes a Gellio aditas et librum a Romano laudatum efficerent. Sed hanc controversiam dirimere non meum est. Etenim, etiamsi, quod vult Keil [1], quæ Probus de compluribus artis grammaticæ partibus reliquisset, ea ipsa in artem redacta fuissent, nullum tamen in manibus haberemus librum Probi genuinum. Nullum ergo grammaticum vocabulum Berytio attribuere mihi licuit.

Haud pauca e Quintiliano assumere potui, quamquam, ut ait, non voluit grammaticam docere nec artem componere. Demonstraturus enim quibus studiis ab infantia orator formandus sit, præcipua grammaticæ capita percenset [2], nec non aliquot « technicis terminis » utitur. Quos a Palæmone, ut totam doctrinam suam grammaticam, eum mutuatum esse certum est. Namque, præterquam quod per se facile suspici potest, Quintilianum, Remmii discipulum [3], secutum esse præceptorem, Marschall [4] luculenter ostendit, quæ a Quintiliano proferantur grammatica, apud posterioris ætatis artigraphos reperiri, et Morawski [5] eosdem « terminos technicos » et locutiones, quas Charisianus Palæmon usurpaverit, apud Quintilianum jam legi.

Hactenus de Quintiliano; de Aspro autem, cujus nomen arti cuidam a Keilio [6] præscribitur, pauca sufficient. « Ad Aemilium Asprum enim, Terentii Vergilii Sallustii interpretem... nihil ex hoc libro pertinet, qui ea ætate, qua in arte Donati exponenda maxima studia grammaticorum versabantur, scriptus est. » Grammaticus vero, qui tempore Antonini philosophi vixit [7], in commentarios Sallustii et Vergilii

1. IV, p. xxx.
2. I, 4 sqq.
3. Schol. ad Juvenalem, VI, 452.
4. *L. c.*, p. 8-15.
5. *Hermes*, XI, p. 353.
6. V, p. 547 sqq.
7. K., V, p. 527.

observationes de lingua et grammatica sparsit, quarum hæc exempla apud Charisium deprehenduntur : « Sed Asper : Si genetivus, inquit, « omnium » *i* litteram natura retinet, et in accusativo esse servandam » (p. 140). « Asper ait : vetuste « obviam fuere », adverbio maluit uti quam nomine » (p. 209) [1]. Sed pauciora supersunt ejus fragmenta, quam ut aliquid ad meum libellum ex iis conferatur. Illum ceterum sub finem II et initio III sæculi vixisse, nuper Læmmerhirt contendit [2].

Quo tempore floruerit Velius Longus, utrum in medio I sæculo post Chr. [3], an sub Trajano et Hadriano [4], pariter incertum est. Ejus commentarii « de usu antiquæ lectionis [5] » et « Aeneidos [6] » perierunt. Exstat autem opusculum « de orthographia », ex quo aliquot vocabula deprompsi. Per omnes partes libri multa cum Scauri disputationibus consentiunt, nec potest dubitari, quin « maxima ejus consensus pars ab antiquioribus auctoribus (præsertim Verrio Flacco), qui de iisdem rebus scripserant, repetenda sit [7] ». In usu vero « terminorum » grammaticorum quid Velius iis debuerit, dijudicari non potest. Hoc tantum verisimile est, quod etiam de Aspro valet, eum, cum non artem componeret, in vocabulis « technicis » usurpandis nihil novi attulisse, et Palæmonem, ut cujus ars scholastica esset, secutum esse.

Idem de Capro opinor, quem sub finem fere II sæculi ætatem egisse constat, post Probum Berytium, quo auctore usus est, et ante Julium Romanum, a quo sæpius nominatur [8]. Duos libros edidit, unum « de latinitate », alterum « de dubiis generibus », in quibus plurima Plinio et Probo

1. Cf. K. I, p. 216.
2. *De Priscorum scriptorum locis a Servio allatis*, in *Comment. philol. Jenens.* (1890), IV, p. 401 sqq.
3. O. Frœhde, *De C. Julio Romano*, p. 615.
4. Græfenhan, *l. c.*, p. 82, 122, etc.; K. VII, p. 43.
5. Gell., XVIII, 9.
6. Charis., K. I, p. 175.
7. K. VII, p. 44.
8. G. Keil, *De Flav. Capro grammatico Quæstionum capita II*, in *Dissert. philol. Halens.*, X (1889), p. 245-306; Læmmerhirt, *l. c.*, p. 396.

debuisse videtur. Doctissimus antiquitatis perscrutator[1], sæpissime a grammaticis inferioris ætatis in testimonium vocatus est, et iis permulta suppeditavit, præsertim Romano, Nonio, Charisio, Diomedi, Prisciano[2]. Ceterum nihil ex eo hausi, ut cujus non ipsa verba in textum receperint posteriores artigraphi, sed aliis verbis, quæ ille docuerat, expresserint[3], cumque duos libellos « de orthographia » scilicet et « de verbis dubiis », qui apud Keilium[4] ejus nomen præ se ferunt, ex veteris nostri grammatici operibus excerptos, at studiis recentiorum valde obtruncatos et mutatos esse credendum sit[5]. Sed quod ad meum propositum attinet, non inde magnam esse jacturam ostendi[6].

Multo magis dolendum est, tam paucas ad nos pervenisse ex Q. Terentii Scauri libris reliquias[7]. Illum enim Hadriani temporibus grammaticum vel nobilissimum[8], et ipsius Hadriani grammaticum[9], qui commentarios in Plautum, Vergilium, Horatium edidit, scripsitque de Cæsellii erroribus, de orthographia[10], de litteris novis[11], artem quoque grammaticam composuisse docent nonnulli loci posteriorum artigraphorum, præsertim Charisii et Diomedis[12]. Quamquam autem ille « de singulis orationis partibus ceterisque rebus, quæ ad artem grammaticam pertinent, non longis et doctis disputationibus videtur disseruisse, sed artigraphi more modoque quam brevissime simplicissimeque res absolvisse[13] », vocabulis « technicis », quæ aucupanda mihi suscepi, ejus

1. Priscian., K. II, p. 88.
2. H. Keil, VII, p. 88-90; Neumann, *l. c.*, p. 30-53; G. Keil, passim.
3. G. Keil, *l. c.*, p. 2[illegible]5, i. n.
4. VII, p. 92-112.
5. K. VII, p. 90.
6. Cf. H. Keilium, VII, de Cornuto (p. 133) et Cæsellio Vindice (p. 138 sq.), ex quibus quædam minimi momenti excerpta sunt a Cassiodorio.
7. Cf. præsertim, K. VII, p. 7 sqq.; Kummrow, *Symbola critica ad Gramm. latin.* (1880); P. Meyer, *Quæstiones gramm. ad Scauri artem restituend. spectant.* (1885).
8. Gell., XI, 15.
9. J. Capitolin., Verus, § 2.
10. K. VII, p. 11 sqq.
11. Id., p. 33.
12. « Scaurus in arte grammatica. » Charis., K. I, p. 131; *id.*, p. 136.
13. Kummrow, *l. c.*, p. 2.

librum abundasse per se patet. Atque Scaurum Palæmonis, qui tunc temporis in tanta gratia et auctoritate erat, rationem habuisse, nec tamen, cum ipse vir præstantissimus artem edere voluisset, eum serviliter secutum esse certum est. Perspectis autem reliquiis, quas Kummrow[1] composuit, et quæ initio VII voluminis Keil publicavit, nihil fere inveni quod alicujus momenti ad meum propositum esset, quoque, quid inter Palæmonem et Scaurum interesset, suspicari possem.

Illorum grammaticorum, qui iis temporibus floruerunt, cum Romæ studia grammatica vigebant, agmen cogant A. Gellius et Sex. Pompeius Festus. Quamquam A. Gellius[2] grammaticus nec fuit nec esse voluit. Sed inter illas adnotationes, quas sine ordine excerptas edidit, nonnulla sunt ex grammatica[3]. Quæ, si Beckio[4] creditur, pleraque ex Plinio hausit. Quicquid id est, aliquot de Nigidio Figulo et Cæsare, aliquot de vocabulis II sæculi grammaticis testimonia pretiosissima ei debemus.

Sex. Pompeii Festi, epitomatoris Verrii Flacci, ætas certis finibus circumscribi non potest. Sed in II sæculo eum vixisse inde patet, quod ipse Martialis versum Verrio addidit[5], et a Porphyrione[6] adhibitus est[7]. Unumne Verrii « de verborum significatu » opus, an plures ejusdem auctoris libros excerpserit, an aliorum quoque scriptorum commentationes adjunxerit, quatenus denique ipse e suo doctrinæ penu introduxerit, ambigitur. Quomodo autem illo usus sim, vide supra sub Verrio, p. 18.

Hactenus, a Palæmone usque ad finem II sæculi post Chr., grammaticæ apud Romanos quasi auream ætatem percurri-

1. P. 2-8.
2. Cf. Kretzchmer, *De A. Gellii Fontibus*, I (186[illegible]); Beck, *Studia Gelliana et Pliniana*, in *Fleckeisens Suppl.*, XIX (1893).
3. Gell., *Præfat.*, 12 sq.
4. *L. c.*
5. P. 369.
6. « Porphyrio lebte wahrscheinlich um 200-250 n. Chr. » (Teuffel [3], n° 374, 3.)
7. Cf. O. Frœhde, *De C. Julio Romano*, p. 645.

mus, cum divitias a prioribus litteratoribus et Latinis et Græcis, Varrone et Dionysio Thrace in primis, partas coacervatasque exercentes, præstantissimi viri ad quendam haud quidem perfecti absolutique, sed non despiciendi certe operis effectum grammaticam disciplinam perduxerunt. Sed injuria temporum factum est, ut illorum, qui hanc nostram scientiam pepererunt, libri, exceptis paucis dispersisque et sæpe dubiis fragmentis, deperditi sint, ita ut conjectura sæpius quam certis testimoniis dijudicari possit, immo haud raro omnino ignoremus, quis quid contulerit. Sæculo III post Chr. in scholarum umbras grammaticæ studium fere totum recessit, et paucissima tantum ex iis ad nos pervenerunt.

Illo tamen ineunte aut etiam sub finem II vitam duxit disertissimus artis scriptor[1], C. Julius Romanus, qui librum ἀφορμαί vel ἀφορμῶν inscriptum, ad doctorum virorum usum composuit[2]. Totam grammaticæ artis materiam hunc librum comprehendisse, et, ad eum scribendum, Romanum multos auctores, in primis Plinium, adhibuisse, O. Frœhde[3] ostendit. Eos vero ita exscripsit, ut non ad verbum sequeretur, sed cujusque doctrinam sumeret et inde proprio judicio atque ordine suum opus redigeret, expromens interdum sententiam suam, cum auctores inter se dissentirent, sed de suo nusquam fere quicquam afferens. Nunquam autem in reliquiis quas habemus Palæmonis nomen laudavit, quod ea ratione explicat Marschall[4], quia « Palæmonis ars, cum in frequentem scholarum usum uenisset, nomine eius dempto, liber publicus ac communis factus erat ». Num ita se res habuerit, dubitari potest, cum Charisius, Palæmonis excerptor, auctoris sui nomen proferat. Id tamen certum est, in rebus grammaticis nominandis, Romanum sæpe cum Palæmone congruere, raro ab eo differre, aliquid mutantem aut addentem aut neglegen-

1. Charis., K. I, p. 232.
2. Nihil huic operi certo satis attribui potest, nisi quod apud Charisium passim invenitur.
3. *De C. Julio Romano, Charisii auctore* (1892).
4. *L. c.*, p. 57.

tem. Velut de adverbiorum speciebus[1] in his nominibus consentiunt : qualitatis, quantitatis, numeri, temporis, loci, negandi, affirmandi, demonstrandi, optandi, ordinis, dubitandi, personalia, hortandi, respondendi; quæ vero percontandi, similitudinis, compellandi Palæmon, ea Romanus interrogandi, comparandi, vocandi appellat; congregandi et prohibendi Palæmon unus, unus Romanus præferendi, adnuendi, causalia adverbia in censum vocat. Hæc satis esse credo, ut appareat qua ratione inter I et III sæculum grammatica lingua mutata sit. Romanus autem, ut e prioribus grammaticis suam doctrinam hauserat, sic posterioribus multa suppeditavit : quod de Charisio præsertim manifestum est[2].

Cum Mario Plotio Sacerdote incipiunt infimæ ætatis artigraphi, quorum opera vel tota vel haud multum mutilata in manibus habemus. Apud illos deprehenduntur pleræque appellationes, quas in hoc libello sub examen vocavi; omnesque ante Priscianum maximam inter se similitudinem præbent. Ex iisdem enim pendentes auctoribus, eandem fere materiam comprehendunt, iisdem sæpe verbis utuntur. Grammatistæ, in usum scholarum scribentes, nulla profecto observatione nullaque æstimatione per se digni sunt. At hoc certe iis beneficium debetur, quod non tota nobis florentiorum temporum disperiit memoria. Nam, quamvis ignari imperitique fuerint, non omnino tamen doctorum grammaticorum, quos exscripserunt, scientiam obscuraverunt. Sed sæpius suos auctores dissimulant : quod magnopere quidem dolendum est, at iis fortasse non crimini dandum. Nam dubitari potest, primosne ac veros auctores, id est grammaticos I et II post Chr. sæculi, plerique adierint et cognoverint, an artigraphos, qui hos ipsi adhibuissent, nihil vel pauca tantummodo mutantes,

1. Cf. Charisium, K. I, p. 187 sqq., 190 sqq.
2. Hic Nonium Marcellum prætereo, quia e « compendiosa doctrina » nihil assumpsi. Paucissima enim vocabula grammatica ille usurpavit, eaque nullius ad meum propositum utilitatis, ut quæ jam antea usurpata esse aliis testimoniis notum sit.

exscripserint. His proximis igitur annis multi doctique viri in eam rem incubuerunt, ut opera nobis servata inter se compararent, et inde ex quibus et qua ratione suam doctrinam artigraphus quisque compilavisset, enuclearent [1]. Illi vero in primariis fontibus detegendis plerumque non consentiunt; quocirca dubitare licet num quis satis successerit; at saltem manifestum magis id fecerunt, libros quos habemus, nomen cujusdam auctoris, Charisii scilicet, Diomedis, Donati, aliorum, præ se ferentes, anonymam re ipsa scientiam et fere dictionem continere. Itaque non multum laboris impendi, ut disquirerem, qua ratione IV et V sæculi grammatici in vocabulis technicis usurpandis inter se vel consentirent vel dissentirent. Hoc solum cognosci volui, qui fuerit his sæculis in universum grammaticorum usus : quem usum ipsum non his proprium fuisse, sed ex superioribus manavisse, per se patebit.

His præmissis, ad singulos transeo. De Marii Plotii Sacerdotis [2] ætate nihil certum est, nisi eum vixisse post Jubam [3], quem nominatim refellit, et ante Diomedem Dositheumque, a quibus libros ejus aditos esse constat. « Artium grammaticarum » libros III composuit, e quibus tertius, de metris, a meo proposito alienus est, secundus, quamquam tritissimas notiones continet, pæne ad verbum ab eo artigrapho, qui Probus minor dicitur, exscriptus est [4]; primi pars maxima defectu membranorum periit. In his præterea multa studiis posteriorum grammaticorum mutata esse Keil declaravit. Parvam ergo utilitatem ex Sacerdote percipere potui [5].

Initio IV sæculi Cominianus ætatem egisse videtur, quem

1. De his quæstionibus, cf., præter auctores jam sæpe in notis laudatos, Bœlte, *De artium scriptoribus latinis quæst.* (1886); ejusdem, *Die Quellen von Charisius I, 15 und 17*, in *Fleckeisens Jahrbüch.* (1888), p. 401-440; L. Jeep, *Z. Geschichte der Lehre von d. Redeth. bei den Lat. Gramm.* (1893), Einleit., p. 1-101.
2. Hoc nomen libro III præscribitur, sed I et II M. Claudius Sacerdos.
3. « Er ist frühestens ums J. 200 zu setzen. » Teuffel [3], n° 379, 2.
4. Vide infra, p. 35 sq.
5. Omitto Terentianum Maurum, qui versibus « de litteris, syllabis, metris » III libros scripsit, e quibus nihil haurire potui.

auctorem sæpe Charisius nominat. Ex reliquiis autem sic nobis per Charisium perlatis apparet, illum omnia tractavisse, quæ tunc artes comprehendebant, sed brevi et simplici oratione suæ ætatis consuetudinem docuisse, et omnia quæ doctiorem disputationem requirerent omisisse : ut librum ejus non doctis hominibus, sed pueris destinatum esse putandum sit [1]. Habet autem multa cum Palæmone communia [2], ita tamen ut eum in brevius redegisse videatur. Ipsum denique præcipuum fontem Charisii et Dosithei fuisse constat, ac multa Diomedi aliisque præbuisse ex comparatione cum Charisio perspicuum est.

Victorini, Donati et Charisii ætas certis fere finibus circumscribere possumus. Notum est enim Victorinum a grammatica ad rhetoricæ artis professionem progressum esse, et rhetoricam Romæ, Hieronymo puero, id est circa annum 350, docuisse [3]. Eodem vero tempore Donatus insignis grammaticus in Urbe habebatur [4]. Unde concludi potest paulo Donato Victorinum superiorem fuisse [5]. Charisium autem post mortem Evanthii (359 p. Chr.) ex Africa Constantinopolim adductum esse Hieronymus testatur [6]. Paulum igitur post Donatum floruit.

Marii Victorini feruntur IV libri « artis grammaticæ », quorum in maxima parte de metris disseritur [7]. Tum sub nomine Maximi vel Maximini Victorini IV libellos habemus « de grammatica » et « de metris ». Sine dubio unus fuit grammaticus, cujus cognomini diversa nomina apposita sunt. Keil [8] haud sine veri similitudine arbitratur Victorinum primo ad

1. K. I, p. xlviii sq.; Christ, *Philologus*, XVIII, p. 123 sq.
2. K. I, p. xlix; Marschall, *l. c.*, p. 59, 60, 67, 73.
3. K. VI, p. xi, xxvi.
4. Id.
5. Cf. tamen hunc locum Victorini (K. VI, p. 200) : « De pronomine similiter quoniam Donatus exposuit ideo prætermisimus. » Sed hæc verba ab aliquo librario pro capite Victorini de pronomine introducta sunt; aut quid significat « similiter » ?
6. Sic correctus est codex, in quo legitur non Charisius, sed Charistus; cf. Usener, *Rhein. Mus.*, XXIII, p. 429 sq.
7. Ea pars re ipsa non Victorini, sed Aphthonii cujusdam est.
8. K. VI., p. xxvi sq.

institutionem puerorum breviter de universa arte grammatica et de metris scripisse suos libellos, — horum enim duo primi ita compositi sunt, ut fictas interrogationes responsa exciperent —; deinde de elementis artis et de orthographia copiosius ad eruditorum usum disputavisse in parte majoris operis, quæ ejus est. Ceterum in pluribus locis ad verbum cum Charisio, Donato, Diomede, Dositheo congruit, « et in componendis vel excerpendis iis quæ ab antiquis scriptoribus inventa erant nec diligentem nec peritum artis se præbuit [1] ».

Aelium Donatum nullus illorum temporum artigraphus fama et auctoritate æquavit; nullius apud posteros frequentior memoria fuit. Illius enim opera in scholis mox fere unica usurpata esse videntur; in illis adnotandis multi grammatici totam operam suam navaverunt [2]; atque hæc gratia, continuo usu per medium ævum propagata, duravit etiam post typographicam artem inventam. Quo tempore cum, studio litterarum renovato, puerorum institutio a Donato inciperet, tanta auctoritate inter doctos hic valuit, ut ipsius nomen pro nomine artis grammaticæ esse consuesceret [3]. Neque tamen singulari eruditione vel dictione hanc tantam existimationem sibi consecutus est. Etenim cum artigraphis suæ ætatis, Charisio, Dositheo, Excerptore Bobiensi, et præsertim cum Diomede [4] ita consentit, ut non solum multis locis eædem res apud omnes doceantur, sed iisdem etiam verbis expromantur : non quo a Donato ceteri suam doctrinam mutuati sint, — nam et apud Diomedem omnia copiosius et doctius tractata sunt, et cum Charisio Donatus congruit in iis etiam, quæ ille ab antiquioribus grammaticis se excerpisse declarat —, sed quia omnes ex iisdem fontibus suas copias derivaverunt. At mirandam quam dixi existimationem Donatus ex eo collegit, quod, omnem requisitam scientiam omittens, breviter quæ

1. K., *l. c.*
2. Cf. infra, p. 37 sqq.
3. K. IV, p. xxxviii.
4. Cf. præsertim Bœlte, *De artium scriptoribus*, etc.

pueris necessaria videbantur, tantummodo comprehenderat. Nam cum duas artes scripsisset, alteram brevissimam, interrogationibus et responsionibus dispositam, tironibusque destinatam, alteram paulo uberiorem doctioremque, medio ævo et ætate renovatarum litterarum in minore parte omne fere studium positum est. A Donato vero introducta fortasse est ea consuetudo, quæ IV sæculo obtinuit, ut duobus libris notiones grammaticas artigraphi exponerent, nunc rudibus litterarum, nunc eruditis consulentes [1]. Inter minorem autem et majorem artem Donati hoc interest, quod in universum, præcipuis notionibus, quantum fieri potest, iisdem verbis in utraque explicatis, reconditæ quædam et doctiores in majore adduntur, in minore autem declinationum conjugationumque paradigmata, quæ in altera desunt, exponuntur [2].

Flavius Sosipater Charisius eos V libros, quibus nomen suum præfixit, ex aliorum grammaticorum copiis se compilasse et consarcinasse profitetur in epistula ad filium quam initio operis præposuit. In auctoribus autem exscribendis nescio an omnes hujus ætatis tam imperitos artigraphos imperitia et inscitia superaverit. Ita enim soluto fere ordine ea congerit quæ excerpsit, ut nunc tres pluresve doctrinas inter se diversas deinceps singillatim enarret, nusquam suam propriam sententiam expromens, nunc e singulis complurium grammaticorum commentariis, dilaceratis permixtisque, unum efficere videatur. « Videatur » dico; nam dubitandum est an tunc quoque alium artigraphum, excerptorem et ordinatorem observationum ex antiquioribus fontibus haustarum, secutus sit [3]. Is est enim, quem, ut ita dicam, per se sine cortice nare non posse, jure suspicias : qui quidem, si forte auctor ejus ad alium sui librum vel locum legentes rejecerit,

1. Jeep, *l. c.*, p. 58.
2. Cf. Jeep, *l. c.*, p. 24, ubi nonnulli loci utriusque artis opponuntur.
3. A quibusdam ceterum id quoque in dubio ponitur, utrum ipse Palæmonem, Romanum, alios quos nominat adierit, an locos ex iis excerptos a superiore aliquo grammatico mutuatus sit.

ad eundem quoque, etiamsi non excerpserit, ipse rejiciat. Neque optima solum eligit, sed omnia promiscue coacervat, nonnunquam etiam parum intellegens, quid majoris aut minoris momenti sit, gravissima prætermittit. Inde fit ut tritissima doctrina et ridiculæ interdum nugæ in ejus libris comprehendantur, ut bis vel amplius in eodem capite eadem tractentur et aliquotiens diverso modo dijudicentur, in summa multa parum secum consentanea permisceantur. Sed, ut jam commemoravi, cum plurimi grammatici dissimulent unde materiam suam hauserint, Charisius sæpe auctores, quorum libros compilavit, nominatim affert : unde duplicem gratiam ei debemus; primum enim, quæ fuerit nonnullorum veterum grammaticorum doctrina, ejus beneficio nobis fingere possumus; deinde quoniam in iis quæ se exscripsisse profitetur, cum aliis ætatis suæ artigraphis ad verbum sæpe congruit, hos cognoscimus pauca vel nihil ex suo penu in libros suos collocasse. Palæmonem, Romanum, Cominianum sæpissime nominat Charisius et potissimum secutus esse videtur; illis quoque locis, quibus nullum auctoris nomen profert, alios[1] anonymos adhibuit, ita ut ejus doctrina partim certis argumentis certis auctoribus vindicari possit, partim cui scriptori et cui tempori tribuenda sit omnino nesciatur. Idemque accidat necesse est de vocabulis grammaticis, sæpe in eadem re inter se diversis, quæ apud eum deprehenduntur. Neque, ut apud Donatum aliosque, ex eo quod appellationem adscivit grammaticus, colligendum est eam IV sæculo in usu fuisse, ita apud Charisium vocabula, sine auctoris nomine usurpata, dignosci potest utrum a superioribus solum scriptoribus adhibita fuerint, an tunc temporis adhuc in honore viguerint.

Diomedem post Donatum et Charisium floruisse certum est, si, quod Jeep[2] haud invalidis argumentis contendit, utrumque adhibuit. Ceterum utrumque in III « artis grammaticæ » libris superat, Donatum recondita magis et copiosa doctrina, Charisium meliore rerum ordine. Neque iis solis usus est, sed fontes ipsos, a quibus hauserant, ipse sine dubio adiit[1], omniaque arte conexit et digessit, modo singulas auctorum suorum observationes fideliter excipiens, modo verba, sensu sententiæ servato, prorsus immutans, pauca fortasse ex suo addens. De « technicis » autem « terminis » animadvertemus, haud semel a ceteris eum ideo differre, quod serviliter vocabula græca reddere conatur.

1. Scaurum, ex gr., si Christio creditur (*Philologus*, XVIII, p. 127).
2. *L. c.*, p. 56-68.

IV pariter sæculo, iisdem auctoribus, quos Donatus, Charisius et Diomedes usurpaverunt, anonymus quidam præcipua excerpsit de nomine, pronomine et verbo : quæ excerpta, in Bobiensi quodam codice olim reperta, inde Bobiensia nunc appellantur. Cum Charisio ita conspirant, ut ex hoc grammatico ea assumpta esse Keil primum crediderit[2]. Nec minus cum Dositheo congruunt, qui tamen paulo breviora in libris, qui ad nos pervenerunt, exposuit.

Probi nomen præ se ferunt plures libri[3], quos non ejusdem auctoris nec ejusdem ætatis esse nunc constat. Qui « de catholicis » inscribitur, eum supra jam Sacerdoti vindicavi : cum I enim et III libro ejus grammatici tam arto vinculo cohæret, ut ab his separari non possit[4]. Attamen non solum codice, sed etiam communi artigraphorum usu Probo attribuitur : quod, qua ratione factum sit, dici non potest[5]. — De tempore « appendicis Probi[6] » et libellorum « de nomine[7] » ac « de ultimis syllabis[8] » disceptatur. Gaston Paris opina-

1. Auctores illos enumerare supervacaneum puto, cum, præter Donatum et Charisium, iidem sint, quos Donatus et Charisius compilaverunt : Palæmonem, Caprum (et per hunc Plinium), Scaurum, Romanum, Cominianum.
2. I; cf. Christ, *Philol.*, XVIII, p. 136 sq.
3. K. IV, p. 3-264.
4. Cf. initium III libri apud Sacerdotem (K. VI, p. 496) et initium « catholicorum » (K. IV, p. 3). Initium II libri Sacerdotis deest in codicibus.
5. Cf. tamen Jeep, *l. c.*, p. 77 sqq. Credit a Probo industria post « instituta artium » Sacerdotis librum introductum esse.
6. K. IV, p. 193-204.
7. Id., p. 207-216.
8. Id., p. 219-261.

tur[1] « appendicem » III sæculo adjudicandam esse; sed cum plura in eo opusculo ex « institutis artium » pendere videantur[2], IV sæculo potius id assignem. — Quæ in libello « de nomine » comprehenduntur, e Sacerdote, Charisio, Diomede et Probo excerpta[3], sub Probi nomine ideo publicata sunt, quod eodem codice, quo « instituta artium », continebantur[4]. — Libellus « de ultimis syllabis » eidem auctori ne codicis quidem auctoritate, sed mera conjectura tributus est. In utroque ceterum tritissima doctrina exponitur. — Restant « instituta artium », ad quæ, ut ad opus Berytii, non semel Priscianus[5], Servius, Pompeius, Cledonius, alii[6], remittunt. In his vero vulgares notiones fastidiosa verborum copia comprehenduntur, quas nobili I post Chr. sæculi grammatico vindicare non licet. Atqui nulla est apud veteres alterius Probi memoria. Cum tamen in « institutis artium » *Diocletianæ* vocabulum in exemplo ponatur, et inde ea IV sæculo adjudicanda esse pateat, crediderim ab anonymo quodam composita, et vel ab ipso industria, ut operis sui auctoritatem augeret, vel ab alio quolibet, conjectura ad id adducto, clarissimi grammatici nomine ornata esse. Quicquid id est, opera Probo vulgo assignata liquet nullius esse momenti in ea quæstione, quo tempore quæ vocabula grammatica apud Latinos usurpata sint.

Dosithei « ars grammatica[7] » ab aliis ejusdem materiæ operibus in eo differt, quod magna parte græca interpretatione augetur[8]. Ceterum cum libris Donati, Charisii, Diomedis, Bobiensis excerptoris sæpe ad verba consentit, ut

1. L'*Appendix Probi* in *Mélanges Renier*.
2. Jeep, *l. c.*, p. 80 sq.
3. Cf. tamen O. Frœhde, *Fleckeisens Supplem.* (1893), p. 159-203, præsertim p. 197 : « Non dubito totum Probi de nomine fragmentum pro excerptis ex Plinii dubii sermonis octo libris habere. »
4. Cf. Jeep, *l. c.*, p. 82.
5. K. IV, p. XVII, XXV.
6. Id., p. XIX sq.
7. K. VII, p. 376 sqq.
8. « Post expositionem nominis græca verba, primum neglegentius interposita, deinde prorsus omissa sunt. » K. VII, p. 366.

eam ex iisdem fontibus derivari appareat. Cui tempori autem referenda sit, non definiri potest, nisi Dositheum, cum ter nomen Sacerdotis in exemplo proferat[1] et Donatum semel nominet[2], non ante medium IV sæculum scripsisse colligendum est.

Sub finem ejusdem sæculi, Symmacho (345-415) junior[3], ætatem tulit Servius Honoratus, qui Vergilii commentario maximam apud posteros famam assecutus est. Idem primus omnium ad adnotandas et explicandas Donati artes operam suam contulit. In priore parte ejus « commentarii in Donatum » de minore arte tractatur[4]; in altera[5], quæ in nonnullis codicibus et apud quosdam grammaticos Sergii vel Seregii nomen præ se fert[6], major ars explanatur. In summa vero Servius Donati ordinem sequitur, omittens quæ nullum commentarium requirunt. Relatis autem ad verbum quæ retinet, subjicit explicationem vel supplementum addit, ita ut opinio legenti injiciatur, eum magistrum fuisse, qui discipulis, in manibus Donati artes habentibus, enodaret quæ obscuriora viderentur, suppleret quæ prætermissa ab auctore essent. Quæ vero a Donato discrepant, e communibus grammaticorum IV sæculi fontibus emanant. — Libellum Servii « de finalibus[7] » a Donati præceptis quoque profectum esse ipse auctor profitetur; neque de eo aut de opusculis quæ sequuntur apud KEILIUM[8] disserere operæ pretium est.

Commentarius Servii tantam apud grammaticos auctoritatem collegit, ut quæ in eo insunt in alios ejusdem argumenti

1. K. VII, p. 369.
2. Id., p. 424. « Quamquam de Donato quidem scio dubitari posse, utrum ea quæ hoc nomine apposito scripta sunt ab ipso Dositheo an ab alio grammatico post eum addita sint. » K. VII, p. 375.
3. Fingitur enim a Macrobio (*Saturn.*, I, 2, 15) « inter grammaticos doctorem recens professus » cum Symmacho et Vettio Prætextato (a. 385 mortuo, Teuffel [illegible], nº 431, 1) sermonem conferre. Cf. Janum, *Macrob. opera*, Prolegom., p. XXIX.
4. K. IV, p. 405-428.
5. Id., p. 428-448.
6. Id., p. LI.
7. Id., p. 449-455.
8. De centum metris (p. 456-467); de metris Horatii (p. 468-472); de littera, de syllaba, de pedibus, de accentibus, de distinctione commentarius (p. 475-485).

libros sæpe transferrentur[1]. Ex hoc genere est prior librorum[2], qui « Sergii explanationes in Donatum » inscribuntur : quo re vera et Donati ars minor et Servii commentarius explanantur. Auctor ergo post Servium vixit[3], sed ante Pompeium, qui eum adhibuisse videtur. Dubitari vero potest, num liber II ab eodem auctore scriptus sit[4]. Excerpta enim comprehendit ex diversis grammaticis soluto fere ordine, neque a Servio pendet[5].

Servii commentario et Sergii explanationibus usus est Pompeius, qui V sæculo « commentum artis Donati », scholis destinatum vel ex usu scholarum profectum, composuit. Licet apud grammaticos infimæ ætatis nullius grammatici nomen, præter Prisciani, Donati, et Servii, frequentius sit quam Pompeii, pauca satis erunt de ejus libro, in quo pleraque inepte et pueriliter, verbosa et fastidiosa copia, molestissima rerum tritissimarum repetitione tractantur[6]. Majorem artem Donati tantummodo Pompeius explanavit, eam rationem secutus, ut plerumque præcepta quæ apud illum inveniret, longo sermone amplificaret, et, aliorum grammaticorum doctrina comparata, vel defenderet vel corrigeret. Neque in iis, quæ illum ex suo penu deprompsisse credas, præclaræ eruditionis aut magni laboris laus ei debetur : quippe tunc temporis vulgari et cotidiano fere usu in scholis erant. Neque nobis magnam utilitatem afferre possunt, quæ jam apud superiores artigraphos deprehendantur.

Pompeium invicem adhibuisse creditur Cledonius, cujus nomen in codice VI sæculi corruptæ et perturbatæ arti grammaticæ præfertur. Hic libellus[7] primum duarum artium

1. Cf. K. IV, p. LIII.
2. Id., p. 486-534.
3. Eum nominat « magistrum Servium », p. 496.
4. Jeep, *l. c.*, p. 37 sqq.
5. De eo libro maximo dici potest quod O. Frœhde (*Fleckeisens Supplem.*, 1893, p. 199) contendit : « Sergii explanationes in Donatum ex omnibus grammaticis summam similitudinem cum Charisio et Probo præbent. »
6. Cf. K. V, p. 88-93 ; Jeep, *l. c.*, p. 43-55.
7. Cledonii artem grammaticam edidit post Keilium Bertsch (1884).

Donati commentarius fuit, in quo Cledonius auctoris sui verba referebat quæ vel accuratius explicanda vel uberius exponenda arbitrabatur et apposita adnotatione illustrabat. Hæ commentationes summa neglegentia et imperitia separatæ et collectæ sunt atque fortasse multis interpolationibus depravatæ. — Hactenus de commentariis Donati. Plurimi alii ad nos pervenerunt, de quibus tractare supersedeo, ne fastidiosi jam catalogi fastidium augeam.

Macrobius, qui finiente IV sæculo vel V ineunte floruit, ex ceteris hujus ætatis grammaticis ideo se eximit, quod non, tritam viam secutus, Artem aut Donati commentarium composuit, sed « de differentiis et societatibus græci latinique verbi » disseruit. Temporum autem injuria accidit, ut quæ scripserat non integra ad nos pervenirent, sed excerpta tantum haberemus, quæ a grammaticis utriusque linguæ studiosis ad usum inferioris ætatis accommodata sunt. Non mirandum ergo est, quod non, ut summo operis consilio, sic singulis disciplinæ partibus a ceteris grammaticis discrepat. Si qua enim reconditæ magis scientiæ comprehenderat, ea excerptores, ut erat eorum finis, omittere debebant. Quod ad vocabula grammatica pertinet, nihil magni momenti ex Macrobio percipi potest ; namque iisdem fere « terminis » utitur, quibus superiores artium scriptores.

Se quoque a vulgo secernit Consentius, natione Gallus, qui ad artem componendam[1] superiorum grammaticorum libros adhibuit, et Donati commentatoribus usus est, sed ita ut suo ingenio judicioque auctorum suorum sententias disponeret, amplificaret, commutaret. Sæpe cum Donato, Charisio, Diomede ita consentit, ut ex iisdem fontibus, quibus illi, ipsum hausisse verisimile sit, at non iis servientem[2].

Initio demum VI sæculi Priscianus Cæsariensis « institu-

1. Non omnia quæ scripserat ætatem tulisse creditur. Supersunt tantum partes de nomine et verbo, de barbarismis et metaplasmis.
2. Alios omitto illorum temporum grammaticos, ut Martianum Capellam, etc., de quibus jam sæpius repetita rursus repeterem oporteret.

tionum grammaticarum libros XVIII » Constantinopoli composuit, eruditione atque acumine ingenii inter omnes artigraphos longe præstantissimus. Amplissimo enim hoc opere disciplinam grammaticam, ut ita dicam, renovavit. Nam quæ jam alii investigarant, ex integro perscrutatus, partis copiis novas uberrimasque adjunxit, ut jure per omne medium ævum in scholis cum Donato regnaverit, et hodierno die eum potissimum adhibeat, si quis perspicere velit quo apud veteres grammatica perducta sit. Hoc tamen notandum est, grammaticorum Græcorum, præsertim Apollonii Dyscoli, beneficio hanc auctoritatem sibi Priscianum assecutum esse. Apollonius autem quid grammaticæ scientiæ contulerit, hic commemorare supervacuum est [1]. Licet tamen II sæculo post Chr. floruerit, nullam ejus mentionem apud Latinos grammaticos reperimus, excepto hoc loco Pompeii [2] : « Habetis diligentissime in Apollonio tractatum de speciebus istis. Sed quoniam non possumus rem istam sequi, non dico... quod ille tractavit in illis speciebus. » Unde facile suspicias Pompeium fama tantum Apollonium cognovisse. Macrobium vero ejus ex operibus haud pauca in suum librum transtulisse [3] constat. Sed Priscianus Apollonii auctoritatem et se secutum esse non semel profitetur, et plurimis locis invocat, atque re vera sæpissime ad verbum in latinum traducit. Præterea multos artigraphos Latinos, Caprum præsertim, Donatum, Charisium, Diomedem, Probum (?), Servium adiit, ut ex præstantissimis cum Græcis tum Romanis grammaticis optima quæque excerperet, colligeret, digereret. In usu autem vocabulorum « technicorum » quot mutaverit, ex hoc meo libello apparebit : nullius enim grammatici nomen sæpius citabitur. Nec solum novis notionibus, a se auctoritate Apollonii additis, novas appellationes, ex græco plerumque trans-

1. Cf. E. Egger, *Apollonius Dyscole* (1854).
2. K. V, p. 139.
3. Egger, *l. c.*, p. 152, 305.

latas, creat, sed sæpe, quæ circumlocutione adhuc significabantur, uno vocabulo reddit, rarius inter synonyma et dubia quoddam eligit, quod eodem sensu usque ad nos perventurum est. Lingua enim grammatica qua hodierno die utimur, a Prisciano præcipue pendet. Nec non pluribus vocabulis interdum ad eandem rem nominandam utitur, plerumque de notionibus quas ante eum artigraphi nulla peculiari appellatione designaverant [1].

Jam vero si uno conspectu quæ percurrimus respicere voluerimus, gradatim progressam esse apud Latinos grammaticam animadvertemus : quadam in infantia diu jacuisse, per Cratetem Mallotam primum adolevisse et paulatim usque ad medium I post Chr. sæculum, Varronis præsertim et Dionysii Thracis et Plinii opera vires et copias adquisivisse; dein post Palæmonem regnum quoddam certum et satis amplum habuisse, atque obscuris reliquiarum penuria augmentis usque ad III sæculum crevisse, cum florerent Probus, Asper, Velius Longus, Caper, Scaurus, Romanus; tum in scholarum umbras et ad puerorum institutionem rejectam, primo fortasse tacuisse (III sæculo), deinde plurimos peperisse libros inter se simillimos et in annos semper brevioris et tritioris materiæ, sed maximæ nihilominus utilitatis, ut quibus florentium sæculorum memoria servata sit et ad posteros propagata; denique rursus grammatici Græci — Apollonii Dyscoli — beneficio in Prisciani operibus ad fastigium quoddam pervenisse, quo multo altius non ante nostram ætatem evehi potuerit.

Eadem fere fata linguæ grammaticæ fuisse, per reliqua capita manifestum fore spero [2].

1. Cf. p. 84, 87, etc.
2. Quas dictiones præcipui auctores grammaticæ primi usurpavisse videantur, in conclusione percenseo, p. 161 sqq.

De grammatica.

Ipsum nomen *grammaticæ* a Græcis Latinos mutuatos esse, eoque aliud apud veteres utriusque linguæ scriptores esse significatum, aliud hodierno die apud recentiores, hic commemorare non opus est[1]. Legat Classen[2], si quis humilem hujus scientiæ originem repetere et varias in Græcia fortunas persequi volet. Quod pertinet ad Latinos, meminerit hunc « oratoriæ institutionis[3] » locum, in quo non sine aliqua reprehensione et quadam quasi invidia Quintilianus ait, « grammaticam tenuem a fonte, pleno satis alveo fluere, cum præter rationem recte loquendi prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit. » Ne vero ego quoque extra fines, qui mihi præscribuntur mea materia, progrediar, hic satis erit commonefacere, quod ceterum liquet, hoc vocabulum a litteris, quas Græci γράμματα nominabant, originem duxisse.

Eodem modo Latini « litteratum » et « litteraturam » vocabula aliaque similia finxerunt : quæ quidem ex græco transtulerunt, si Quintiliano[4] creditur. Hæc autem translatio sic facta est. Memoratur apud Suetonium[5] Cornelius Nepos dixisse, « litteratos *vulgo* appellari eos, qui aliquid diligenter et acute scienterque possint aut dicere aut scribere ; ceterum proprie sic appellandos poetarum interpretes, qui a Græcis γραμματικοί nominentur ». Quibus ex verbis concludi necesse est, « litteratum » vocabulum jam creatum, et, ad significandum hominem litterarum studiosum ac peritum, *vulgo* usur-

1. Cf. supra, p. 8.
2. *De Gramm. Græc. primord.*, p. 2-13 ; cf. Gräfenhan, *Gesch. Klass. Phil. in Alterth.*, I, p. 96 sqq., 423 sqq.
3. II, 1, 4. Cf. Gräfenhan, *l. c.*, II, p. 246 sqq.
4. *L. c.*
5. *De illustr. Gramm.*, 4.

patum, ex hoc priore usu ad alterum Græcos imitandi causa traductum fuisse. Hunc autem sensum non tam diu retinuisse videtur. A Suetonio[1] enim cognoscimus eosdem (id est γραμματικούς) Messalæ Corvini ætate *litteratores*[2] vocitari. Postea duobus illis vocabulis usi sunt, ut, quemadmodum Græci *grammaticum* a *grammatista*, id est absolute doctum a mediocriter litteris imbuto[3], sic *litteratum* a *litteratore* distinguerent[4].

Æque vero Græcos æmulati, *litteraturam*, in primis litterarum notas in aliqua materia impressas[5], grammaticam appellaverunt. Sed de usu latinorum horum vocabulorum magis disserunt scriptores, quam his ipsi utuntur. Semel Quintilianus[6] *litteraturam* græco grammaticæ nomini respondere indicat, nec sæpius hoc vocabulum effertur a singulis grammaticis[7], qui de eo mentionem fecerunt. Apud plerosque nullo loco id reperias. Quamquam igitur ad linguæ scientiam et rationem nominandam proprium ac vernaculum verbum Latini possidebant, græcum tamen nomen potius habuerunt multoque sæpius usurpaverunt.

De voce.

A notione φωνῆς, « utpote ab ejus artis veluti infimo fundamento, dialecticam suam Stoici exordiebantur[8] ». Eam aerem ictum esse, qui auribus audiri possit, definiunt, distinguuntque animalium vocem, quæ impetu cæco proferatur[9], ab humana,

1. *L. c.* ; cf. Gräfenhan, II, p. 248.
2. Jam apud Catul., XIV, 9.
3. Mordacior Gellius (XVIII, 9) « doctum a docente » dicit.
4. De his vocabulis, quamvis non vere grammatica sint, idcirco disserui, quod a *litteratura* separari non possunt, et, quomodo Græcos Latini imitati sint, plane demonstrant.
5. Cic., *Part. Orat.*, 26.
6. *L. c.*
7. Diom., Asp., etc.
8. Cf. Schmidt, *Gram. Stoic.*, p. 18.
9. ὑπὸ ὁρμῆς ; cf. Dioclem ap. Diog. Laert., VII, 55.

quæ a ratione proficiscatur [1], quamque ἔναρθρον nominant. Hominum enim sermo, ut hoc vocabulum « ἔναρθρος » explanetur, compages quædam est mobilium variarumque vocum, aut metaphorice corpus continuum, cujus membra per *articulos* copulantur moventurque. Qua quidem metaphora usi, et Stoici vocem humanam ἔναρθρον esse dixerunt, et ante eos Aristoteles διάλεκτον appellavit τὴν τῆς φωνῆς τῇ γλώττῃ διάρθρωσιν, vel τὴν ἐν ἄρθροις φωνήν [2]. Cum autem hæc quasi membra humani sermonis litteræ (γράμματα) sint [3], eodem sensu vox humana vel ἔναρθρος vel ἐγγράμματος nominari potest. Inde λέξιν Diogenes Laertius definiens : « Λεξις δέ ἐστιν, inquit, ὥς φησι Διογένης, φωνὴ ἐγγράμματος [4] », et paulo infra a notione φωνῆς distinguens : « Διαφέρει δὲ φωνὴ καὶ λέξις ὅτι φωνὴ μὲν καὶ ὁ ἦχός ἐστι, λέξις δὲ τὸ ἔναρθρον μόνον. »

Stoicorum vestigiis ingressi, Latini artium scriptores [5] sive post grammaticæ definitionem sive primo operis initio, quæ sit « vox », et quæ variæ ejus species, explicare solent. Jam Varronem de iis quæstionibus in primo libro « de sermone latino » disputasse et Stoicos secutum esse Wilmanns arbitratur [6]. Sed locum Diomedis, quem inter reliquias [7] recepit, Varronis nec verba nec fortasse doctrinam reddere ipse profitetur. Apud Velium Longum [8] primum videmus a grammaticis plures vocis species distinctas esse. Litteram enim refert definitam esse ab aliis « initium vocis explanatæ », ab aliis « initium vocis significantis », ab aliis « initium vocis scriptilis ». At plerique artigraphi IV et V sæculi duas tantum

1. ἀπὸ διανοίας ἐκπεμπομένη : *l. c.*
2. *Hist. anim.*, IV, 9. Cf. Lucret., IV, 519 : « voces... Mobilis articulat, verborum dædala, lingua. » Idemque significat Cic. (*De Nat. Deor.*, II, 59, 149) : « Ea (lingua) vocem immoderate profusam fingit et terminat atque sonos vocis *distinctos* et pressos efficit. »
3. Τῆς δὲ λέξεως στοιχεῖά ἐστι τὰ εἰκοσιτέσσαρα γράμματα (Diog. Laert., VII, 56). Λέξις autem est φωνὴ ἔναρθρος, id est φωνὴ ἀνθρώπου (Diog. Laert., VII, 55 sqq.).
4. Cf. VII, 56. Diogenes Babylonius περὶ φωνῆς scripserat.
5. Cf. præsertim Donat., Charis., Priscian.
6. P. 36, 81 sq.
7. Fr. 42, p. 172 sq.
8. K. VII, p. 46.

formas vocis dignoscunt, *articulatæ* scilicet et *confusæ* [1]. Sed eandem esse « articulatam », eandem *explanatam* vel *significantem*, vel *scriptilem* docent. Marius Victorinus enim : « Articulata, ait,.... a plerisque explanata, a non nullis intellegibilis (= significans) dicitur. » Et paulo infra : « Alii eam quæ dicitur in usu articularis litteralem (= scriptilem) dixerunt [2]. » His tamen diversis appellationibus diversas notiones significatas diversaque vocabula græca translata esse manifestum est. Græcum enim vocabulum ἔναρθρος alii, sensum tantum respicientes, per « explanatam » vel « explanativam [3] » reddiderunt; alii exactius in « articulatam » vel « articularem [4] » converterunt. Hi vero non intellegebant, qua metaphora usi Græci ἔναρθρον usurpavissent, et « articulatam » vocem ab « intellegibili » et « litterali [5] » non discernebant. Inde longe a vero digressi sunt, si qui originem et etymologiam vocabuli « articulata » investigare instituerunt. Significat enim Priscianus [6] ab « artando » id derivari, quod humana vox coartata sit cum aliquo sensu. Docent alii ab « arte » dici, quod artem habeat aut exprimat vox articulata [7]. Multi etiam absurde ab « articulis », id est digitis qui scribunt, originem ducere opinantur [8].

« Intellegibilis » autem et « significans » σημαντικῇ [9] respondent; « litteralis [10] » et « scriptilis [11] » ἐγγραμμάτῳ.

A plerisque *articulatæ* vox *confusa* opponitur, quam Græcos aliquo peculiari verbo designavisse non repperi, et a Latinis sic nominatam esse arbitror, quod, « immoderate profusa [12] » et

1. Cf. Victor., K. VI, 4; Donat., K. IV, p. 367; Diomed., K. I, p. 420, etc
2. Cf. Diomed., *l. c.* : *Articulata* est rationalis hominum loquellis *explanata*. Eadem et *litteralis* vel *scriptilis* appellatur.
3. Mar. Victor., *l. c.*
4. Id.
5. Eandem esse articulatam et litteralem vocem, sed alia qualitate significatam non demonstrandum arbitror.
6. K. II, p. 5.
7. Serg., *Explan. in Donat.*, K. IV, p. 519.
8. Serg., *l. c.*; Pomp., *Comment.*, K. V, p. 99; Victor., K. VI, p. 189, etc.
9. Arist., *De anima*, II, 8 : Σημαντικὸς γὰρ δή τις ψόφος ἐστὶν ἡ φωνή.
10. A « littera », cf. γράμμα.
11. A « scribendo », cf. γράφω.
12. Cf. Cic., *l. c.*

quodam modo « mixta[1] », quasi rudis haberetur indigestaque moles. A multis autem eo definitur, quod « non scribi potest[2] », aut « litteris comprehendi[3] » ; unde et *inscriptilis*[4] appellatur vel *illitterata*[5]. Per hæc vero duo vocabula græcum redditur « ἀγράμματος », quod jam apud Aristotelem[6] deprehenditur. Pro « confusa » denique *inarticulata* quoque, sed posterius, dicta est[7]. Apud Dositheum[8] græcum « ἄναρθρος » legitur, quod e latino conversum esse, aut saltem non prius esse creatum quam latinum, opinari licet.

Priscianus autem ab artigraphis IV et V sæculi eo dissidet, quod « litteralis » vocabulum de voce non recipit, et antiquo « *litterata* » non sine ratione uti mavult, quodque quattuor vocis species dignoscit : articulatæ, inarticulatæ, litteratæ, illitteratæ[9]. An amissum aliquem grammaticum hoc loco sequatur, incertum est. Easdem enim species Dionysii Thracis Scholiasta[10] admittit. Sed credi quoque potest Priscianum sic veteres grammaticos, qui de ea quæstione diverse disputaverant[11], conciliare voluisse. Hanc ceterum subtilissimam et sagacissimam sententiam suam improprio vocabulorum usu depravat et obscuriorem efficit. Cum enim, exclusa musica vel modulata voce (quam ipsam artigraphi quidam non omittunt[12]), quattuor re vera sint vocis humanæ species, quæ scribi et intellegi, quæ scribi nec intellegi, quæ non scribi sed intellegi, quæ nec scribi nec intellegi potest, singulas peculiari nomine insignire forsitan utile sit. At Priscianus, quamquam recte eas distinxit, opponit tantum quæ intellegitur ei quæ non intellegitur, quæ scribitur ei quæ non. Præ-

1. Cf. *Comment. Einsidl. in Don. Art. Maj.*, *Anecd. Helvet.*, p. 220.
2. Donat., K. IV, p. 367 ; cf. Diom., *l. c.*
3. *Inst. Art.*, K., IV, p. 47, etc.
4. Diom., *l. c.* Sic opponitur « scriptili ».
5. Priscian., *l. c.* Sic opponitur « litterali » vel litteratæ » (cf. infra).
6. *De interpr.*, 2.
7. Cf. Dosith., K. VII, p. 381 ; Serg., *Explan.*, K. IV, p. 487.
8. *L. c.*; cf. Schol., p. 771.
9. K. II, p. 5.
10. Cf. Schol., p. 771 ; O. Frœhde, *Die Anfangsgründe*, etc., p. 69.
11. Cf. supra Vel. Long. et Victor, p. 44 sq.
12. Cf. Victor. et Diom., *l. c.*

terea, et in eo gravius peccavisse videtur, articulatam et inarticulatam sic interpretatur ac definit[1], ut sibilos hominum et gemitus articulatas voces appellet !

De litteris.

Diligentissime Latini grammatici a *litteris*, quibus notantur sonus vocis individui, ipsum sonum individuum discernunt, quem appellant *elementum*[2]. Quam discretionem ipsine diversis propriisque vocabulis enuntiaverint, an Græci jam observarint expresserintque, certis argumentis demonstrari non potest. Veri tamen similior est prior opinio. Cum enim apud Græcos duo vocabula, στοιχεῖον et γράμμα, pariter usurparentur, γράμμα proprie vocem scriptam litteratamque designabat, στοιχεῖα autem quasi atomi erant sive vocis, sive dictionis[3], ex quibus omnis vox aut dictio componitur construiturque, et in quos resolvi utique potest[4]. Philosophice ergo, quam partem in humano sermone « littera » obtineat, per στοιχεῖον exprimitur. Hanc quidem notionem philosophicam a quibusdam grammaticis parum intellectam esse, ex definitione Dionysii Thracis apparet : « Στοιχεῖα... καλεῖται διὰ τὸ ἔχειν στοῖχόν τινα καὶ τάξιν[5]. » Sed in libris græcis, qui supersunt, nusquam στοιχεῖον proprie sonum litteræ significasse reperimus[6]. Hunc ergo sensum « elementi » Latinos a Græcis non mutuatos esse colligi potest. Nec tamen dubitare licet, quin illi, Græcos imitati, « elementum » cum στοιχείῳ aliquo vinculo conexerint, cum utrumque vocabulum pariter in utraque lingua et *litteram* et *principium* significare sciamus. Quomodo vero sese res habuerit, investigare operæ pretium est, et hac ratione arbitror posse conjectari.

1. « Articulata est quæ coartata, hoc est copulata cum aliquo sensu mentis eius qui loquitur, profertur. Inarticulata... quæ a nullo affectu proficiscitur mentis. »
2. Cf. Scaurum ap. Diomed., K. I, p. 421 ; Priscian., K. II, p. 6 sq., etc.
3. Cf. Aristot., *Poet.*, 20 ; Diog. Laert., VII, 56.
4. Cf. Dionys. Halic., *De compos. verb.*, 14.
5. Cf. Uhl., p. 9.
6. Cf. tamen Schol. Dionys. Thr., O. Frœhde, *Die Anfangsgründe*, etc., p. 98.

Antequam, a philosophis Græcis docti, Latini grammaticæ quadam disciplina et arte incumberent, jampridem duobus vocabulis, littera et elemento, ad litteram designandam utebantur. Prius autem, quod nihil aliud est quam græcum « διφθέρα[1] », sive prima ab origine sive vulgari interpretatione, quippe quod quadam quasi affinitate cum v. *legere* aut *linere* et *litura* conjungi videretur[2], ipsam notam et velut scriptam vocis imaginem significabat. Jam alterum, quod ex latinis nominibus litterarum *l, m, n* et ipsa pronuntiatione vir doctissimus, L. Havet[3], ortum esse demonstravit, magis idoneum erat, ut sonum litteræ aut pariter cum nota sua, aut unum per se exprimeret. Quam igitur differentiam inter illa duo vocabula grammaticos servavisse supra dixi, eam a principio fuisse credendum est. Cum autem Græcorum philosophorum et grammaticorum libri Romam illati sunt, Græcos quoque duobus vocabulis ad litteras significandas usos esse animadverterunt Latini. Γράμμα quidem in « litteram » non traduci non poterat, cum alterum ab altero prope nihil sensu differret. Necesse ergo, ut ita dicam, erat, ut « elementum » arte cum στοιχείῳ copularetur, iisdemque sensibus videretur usurpandum. Quare id usitatum est apud philosophos pro rerum principiis seminibusque; et, quemadmodum στοιχεῖον ex philosophia in grammaticam subrepserat, sic « elementum » ex grammatica in philosophiam introductum est. Id eo facilius factum est, quod sensus « elementi » ita extensus erat, ut initia cujusque rei significaret. Quicquid id est, in hac « litteræ » et « elementi » distinctione Romanos per se, sine Græcorum imitatione, aliquid invenisse verisimile est. Quod non mirum videri potest, cum, ut supra jam animadvertimus[4], in litterarum natura dispicienda et generibus earum distribuendis suam curam antiquitus impenderint.

1. Cf. Bréal, *M. S. L.*, VI, p. 2; Havet, id., p. 115.
2. Cf. Prisc., K. I, p. 6. « Dicitur autem littera vel quasi legitera, quod legendi iter præbeat, vel a lituris, ut quibusdam placet, quod plerumque in ceratis tabulis antiqui scribere solebant. »
3. *M. S. L.*, V, p. 44 sqq.
4. Cf. supra, p. 5 sqq.

Hujus rei id quoque haud leve argumentum est, quod litteras, quas a Græcis receperant, appellarunt novis nominibus et simplicioribus et ita fictis, ut per ea inter se distinguerentur vocales, consonantes et semivocales. Quod eos fecisse opinor, utilitatis, ut solebant, ratione habita, fortasse quo facilius pueri instituerentur. Litteras igitur, *h* excepta, his appellationibus designaverunt, quas adhuc retinemus : apud eos enim a vocibus suis vocales nominantur; semivocales vero ab *e* incipiunt et in se terminantur « absque *x*, quæ ab *i* incipit per anastrophen græci nominis ξῖ, quia necesse est, cum sit semivocalis, a vocali incipere[1] »; mutæ autem a se incipiunt et in *e* vocalem desinunt, exceptis *q* et *k*, quarum altera in *u*, altera in *a* finitur[2]. Ideo quasdam (*h, k, q, x*) sub communem regulam non cadere veteres grammatici arbitrabantur, quod non litteræ viderentur (*h*), aut non essent necessariæ (*k, q, x*)[3]. Atque nomine ipso demonstrabatur *q* nulli litteræ nisi *u*, *k* nulli nisi *a* præponi. Semivocalium denique appellationibus facilius audiebatur, earum sonum continuari posse : qua re a consonantibus discrepant[4]. Consilio igitur et ratione Romani nova nomina litteris imposuerant, idque consilium a Varrone jam intellectum fuisse Sergius testatur[5].

De vocalibus.

Duæ sunt litterarum species : aliæ *vocales*[6] appellantur, quæ vocem per se proferre possunt, et a *voce* dicuntur, ut

1. Prisc., K. II, p. 8. Fere omnes artigraphi in definiendis litterarum nominibus inter se consentiunt.
2. *H* quoque a se incipiens et in *a* desinens nomen suum conficiebat. Cf. nomen hujus litteræ apud Germanos.
3. Cf. præsert. Serv., K. IV, p. 422; Serg., id., p. 520.
4. « His si detrahamus vocales, habent tamen velut quendam sui levem sonum. » Serg., K. IV, p. 476; cf. Pomp., K. V, p. 101.
5. K. IV, p. 520. Cur hunc locum Sergii Wilmanns inter reliquias Varronis non receperit, nescio. Libro quidem IX (51) « de lingüa latina » videtur Varro appellasse « *Ba* » litteram *b*. Sed codicem in eo loco corruptum esse potius credo, quam post Varronem litterarum nomina mutata esse, et de ea mutatione nullam apud posteriores grammaticos mentionem exstare.
6. Primum deprehendi apud Nigidium Figulum, cf. Gell., XIX, 14; Cic., *Orat.*, 23, 77, etc.

φωνήεντα[1] γράμματα a v. φωνή ; aliæ *consonantes*[2], quæ re vera nunquam nisi cum vocalibus pronuntiantur nomenque ceperunt a *cum* et *sonando* aut *sono*, ut a v. σύν et φωνή « σύμφωνα », — quod vocabulum græcum nec apud Platonem nec apud Aristotelem, ne apud Stoicos quidem deprehenditur, sed primum a Dionysio Thrace[3] adhibitum esse videtur. Ipsis quidem his appellationibus Græci, quomodo natura inter se differrent hæ duæ species, expressius declaraverant, qui utrique nomen a v. φωνή derivatum indidissent. Quod forte cum quidam animadvertissent Latini, consonantibus non vocales, at *sonantes* opponi voluerunt[4] : sed hoc vocabulum non usu invaluit.

Vocales ipsæ sunt aut *breves* (βραχέα) vel *correptæ*[5], aut *longæ* (μακρά) vel *productæ*[6] : de quibus nominibus plura disserere supervacaneum est. Id autem est notandum, cum Græci, tertiam speciem constituissent, earum scilicet quæ modo corripi, modo produci possunt (α, ι, υ), easque δίχρονα[7] (γράμματα) vel ἀμφίβολα vel ὑγρά nominassent, Latinos primum *dichronum* assumpsisse[8]; Priscianum postea, verbum ex verbo ducentem, δίχρονον in *bitemporem*[9] (vocalem), ὑγρόν in *liquidam*[10], sensum vero potius intuentem, ἀμφίβολον in *ancipitem*[11] transtulisse. Sed in his vocabulis fingendis, excepto « ancipiti », non tam felicem fuisse Priscianum censeo. Cum enim non elementum, sed littera (quod quidem reprehendi possit, et re vera STEINTHAL[12] reprehendit), his verbis definiatur, ea profecto recte anceps appellatur, de qua, si oculis legitur, ambigi potest lon-

1. Jam apud Platonem in *Philebo* et *Cratylo*.
2. Casu sine dubio hoc vocabulum non deprehendi ante Velium Longum (K. VII, p. 46); cf. Scaurum, id., p. 12; Paulum, p. 6.
3. Ed. Uhl., p. 11, etc.
4. Cf. Diom., K. I, p. 422; cf. supra, p. 35. Apul., *De Mundo*, 20.
5. Cf. συστέλλεται, Dion. Thr., p. 10. etc.
6. Cf. ἐκτείνεται, *ibid.* Brevis, longa, producta deprehenduntur apud Cic., *Or.*, XLVIII, 159. Quattuor latina vocabula ap. Vel. Long., K. VII, p. 48, 52, etc.
7. Dion. Thr., *ibid.*
8. Serg., *De litt.*, K. IV, p. 476; Victor., K. VI, p. 219, etc.
9. *Bi* (*s*) = δι (ς); — tempus = — χρονος. Cf. K. II, p. 323.
10. *Ibid.*, p. 9.
11. Cf. *ibid.*
12. *Sprachwiss. b. Griech. und Rœm.*², II, p. 193 sqq.

gane sit an brevis : ut prœlium anceps vocatur, quo commisso, uter victurus sit, incertum est. Sed « liquidus » vel metaphorice ad purum aliquid et inturbidum fluens designandum plerumque usurpatur : unde liquida dicitur oratio, quæ nihil ambiguum et subobscurum habeat, quod sane vocalibus ancipitibus contrarium est. Eo igitur vocabulo perverse Priscianus usus est, ut ὑγρόν in latinum verteret[1], id est « humidum et molle[2] quod facile fingi possit, et quamlibet in formam configures ». Nec rectius « bitemporem » finxit : quæ enim vocabula ea particula *bi* et altero vocabulo constant, his declarari solet aliquid esse geminum aut bis in una eademque re exstare[3]. Bitempores igitur vocales proprie magis longæ, id est in quibus duo sunt tempora[4], nominarentur.

Δίφθογγον Græci appellabant duas vocales[5] in unum sonum quasi conflatas, et hoc nomen Latini receperunt atque immutatum retinuerunt (*diphthongum*[6]). Animadverterant autem grammatici singulis vocalibus certum locum in diphthongis quasi assignatum esse. Quæ semper priorem obtinebant, προτακτικά, quæ semper posteriorem, ὑποτακτικά Græci vocaverant[7]. E v. προτακτικόν latinum *præpositiva* vocabulum, e v. ὑποτακτικόν *subjunctiva*[8] deductum est, prius quidem specie fere verbum ex verbo[9], alterum autem paulo liberius, sed utroque re vera e congruentibus et jampridem usurpatis verbis « *præponere* et *subjungere* » derivato[10].

1. Idcirco videlicet in errorem inductus est, quod uno et eodem vocabulo, τὰ ὑγρά, Græci interdum utebantur, ut et supra dictas vocales et consonantes liquidas designarent (v. infra, p. 53).
2. Εὔπλαστον καὶ ὑγρὸν ἡ νεότης (Plut.).
3. Cf. biceps, bicornis, bilibris, bimembris, bipes, bisyllabus, etc.
4. « In longis natura vel positione duo sunt tempora. » Priscian., K. II, p. 51 sq.
5. Cf. Dion. Thr., p. 10. δίφθογγος = δίς, φθόγγος.
6. Cf. Velium Longum, K. VII, p. 80, quo loco δίφθογγος cum græcis litteris legitur.
7. Cf. Dion. Thr., *ibid.*
8. Prisc., K. II, p. 37, etc. Hæc nomina, tam græca quam latina, non propria vocalium sunt, sed et apud grammaticos, ad designandas litteras aut vocabula quæ ordini cuidam inserviunt, sæpe reperiuntur. Cf. Indicem vocabulorum.
9. *Præ* = πρo, — *positivum* = — τακτικόν.
10. Nigidius priorem diphthongi vocalem *principem*, alteram autem *subditam* dixisse videtur. (Cf. Gel. XIX, 14.) Apud Scaurum autem inveniuntur et *præposita* et *præpositiva*, et *præjectiva*, pro *subjunctiva* autem et *subjecta* et *subjectiva*. K. VII, p. 16 sq.

De consonantibus.

Consonantium aliæ ita emittuntur, ut per se vix audiri possint, et, nisi conjungantur vocali, quasi vocis expertes videantur : hæ quidem, ut a Græcis ἄφωνα[1] nominatæ sunt, sic a Latinis *mutæ*[2] (*mutus* enim appellatur, qui voce caret), aut etiam *insonæ*[3]. Aliarum vero, ut vocalium, sonus, quoad spiritus suppeditat, continuari potest, sed, ut consonantium, vocis viam occludendo formatur : hæ, inter vocales et consonantes mediæ, significanter a Platone[4] τὰ μέσα dictæ, post Aristotelem obscurius ἡμίφωνα[5] sunt vocatæ. Quod vocabulum Latini grammatici serviliter in *semivocales*[6], aut rariore usu in *semisonas*[7] vel *semisonantes*[8] transtulerunt.

Licet autem animadvertissent veteres mutas alias alio modo et alio quasi instrumento, has scilicet labris, illas dentibus, aut palato[9], pronuntiari, non inde, ut recentiores grammatici, eas in plura genera dispertierunt, nec diversis nominibus designarunt. Aristoteles tamen[10] ab illis quæ cum aspiratione

1. Cf. Arist., *Poet.*, c. 20, etc.; Dion. Thr., p. 12.
2. Festus, p. 142; Quintil. (= Palæmon), I, 4, 6; Velius Longus, K. VII. p. 51; Scaurus, id., p. 29, etc.
3. Apul., *De mundo*, 20; ex *in* — (= ἀ — privativum) et *sono* (= φωνή). Cf. supra *sonantes*. « *Insonæ* » autem vocabulum non obtinuit.
4. *Theat.*, 203 b.
5. Cf. *Poet.*, c. 20; Dion. Thr., p. 11.
6. De mutis et semivocalibus Varronem Cæsaremque disputasse verisimile est. Cæsarem ceterum Probus minor (K. IV, p. 50) affirmat « singularum litterarum sonos ponderasse et semivocales mutis præferendas » judicavisse. De semivocalibus cf. Festum, p. 158; Quintil. (= Palæm.) I, 4, 6, etc.; Plin. ap. Char., K. I, p. 137; Vel. Long., K. VII, p. 50; Scaurum, id., p. 26, et plerosque ceteros artigraphos.
7. Victor., K. VI, p. 38.
8. Apul., *l. c.*; Terentian., 1054, K. VI, p. 356. Quanto felicius recentiores, qui priores *momentanées*, alteras *continues* nominaverint! Nec ullo clariore aut ad probandum firmiore exemplo demonstrari potest, quantum ad veram rerum speciem repræsentandam et in animo hominum infigendam referat, eas apto nomine insignire. Etenim, cum « ἡμίφωνα » aut « *semivocales* » vocabulum quid proprie significaret, mox grammatici non intellegerent (quod non mirandum est), inde factum est ut de origine ejus et etymologia plerique ambigerent, nonnulli etiam de numero et vera natura *semivocalium* disputarent. Cf. Priscian., K. II, p. 9; Diom., K. I, p. 423; Pomp., K. V, p. 101, etc.
9. Cf. Dion. Halic., *De compos. verb.*, 14; Victor., *De enunt. litter.*, K. VI, p. 33 sq.; Terentian., *De litter.*, 182 sqq., K. VI, p. 330 sqq.
10. *Poet.*, c. 20; cf. Steinthal, *l. c.*, I, p. 258 sq. Dion. Thr., p. 12.

emittuntur (δασέα), eas quæ aspirationis sunt expertes (ψιλά), dignoscit. Tertium vero genus addit Dionysius Thrax, earum quæ mediæ sunt (μέσα), ut levibus asperiores, sic asperis leviores[1]. Quæ partitio non ante fieri potuit, quam aliquantum ab antiqua pronuntiatione deflecterentur « ζ, γ, δ » litteræ, et, ut hodierno die apud Græcos, quodam cum continuo flatu proferrentur. Sed Priscianus[2], quamvis ab omni aspiratione in dicendo Latini abhorrerent, nec re vera, nisi si qua aliena vocabula mutuati essent, *asperis* unquam litteris uterentur, tamen hæc quoque tria mutarum genera latini sermonis esse voluit, et *asperas* (*ch, th, ph* vel *f*) a *levibus* (*c, t, p*) et *mediis*[3] (*b, g, d*) distinguit. Transtulit autem vocabula « mediæ » et « leves » ex græcis « μέσα » (quæ appellatio non explananda est), et « ψιλά », — id est non impedita, ut dicuntur ψιλοί, quos Latini levem armaturam appellant. Sed aliud proprio sensu significat « δασέα », aliud « asperæ »; suamque ad rem latinum nomen magis accommodatum videtur. Δασύ enim et origine et usu celebriore non aliud est quam densum, atque ideo, credo, de litteris cum aspiratione emissis dicebatur, quasi earum sonus amplius aliquid et crassius haberet. « Asper » autem vocabulum « levi » sæpe opponitur, ut difficilius aliquid et majores nisus postulans designet, et quadam vocum similitudine veraque etymologia[4] cum « aspiratione » consonat et consentaneum est.

Priscianum græcam illam mutarum divisionem retinuisse eo magis mirandum est, quod jam antea Victorinus[5] alteram descripserat, latinæ linguæ aptiorem. Ex illa quidem Græcorum imitatione omnino se expedire non potuit, qua

1. Dion. Thr., *l. c.* : « Τῶν μὲν ψιλῶν ἐστι δασύτερα, τῶν δὲ δασέων ψιλότερα. »
2. K. II, p. 20.
3. *Mediæ* quoque alio sensu *i* et *u* litteræ interdum nominantur, quia et *vocales* sunt et *consonantes*, etc.; cf. Donat., K. IV, p. 367, etc.
4. Cf. Bréal, *M. S. L.*, VI, p. 130. Ex *aspirando* (*adspirando*) *asperum* derivatum esse nolo contendere, cum in altero *ad*, in altero *a* præponatur, sed utrumque ex eadem radice, quæ *spem* et *spiritum* effecit, originem duxisse.
5. K. VI, p. 6 sq.

tamquam catenis Latini grammatici constringuntur. Itaque ex aspiratione et ipse, sed in duas tantum species, consonantes separat, alteras scilicet quæ vocantur *spiritales* (*c, p, t*), « quia his *h* littera subjecta inserit spiritum », alteras (*b, g, d, q*, et semivocales « absque sola *r* »), « quæ ideo *rigidæ* nominantur, quia nullam earum eadem *h* ad recipiendam aspirationem flectat ». Prius autem horum vocabulorum ex « spiritu » deductum esse liquet, alterum, jamdudum a Latinis creatum, metaphorice a Victorino usurpatum est : utrumque sine Græcorum auctoritate in grammaticam translatum esse videtur.

Notandum postremo est *k* litteram a Victorino *monophonon* (μονόφωνον [1]) dictam esse, « quia nulli vocali jungitur, nisi soli *a* brevi »; et *x, z* a pluribus *duplices* [2], a Prisciano autem *longas* ; « sicut enim longæ vocales, sic hæ quoque longam faciunt syllabam [3] ».

Peculiaribus insignitæ sunt nominibus semivocales *l, m, n, r* : nunc enim *liquidæ* [4], nunc *immutabiles*, a Prisciano [5] præterea *ancipites* nuncupantur. Liquidas quidem et ancipites appellari supra commemoravi vocales, quæ, a Latinis uno vocabulo nominatæ et una forma descriptæ, in dicendo tamen modo productæ, modo correptæ pronuntiantur. Eadem ratione liquidas consonantes suum nomen accepisse arbitratus est Priscianus [6], ideoque perverse, ut mihi videtur (non enim hæ litteræ, sed syllaba, quæ iis præponitur, jure anceps dici potest), ancipites quoque vocavit. « Liquidæ » autem vocabulum a græco « τὰ ὑγρά [7] » non inepte translatum est. Si enim byzantio Psello creditur, τὰ ὑγρά sive propter pronuntiationis facilitatem nominata sunt, sive metaphora, quod liquidi co-

1. Hoc vocabulum apud nullum Græcum grammaticum deprehendimus.
2. Cf. Charis., K. I, p. 8; Diomed., id., p. 423; Priscian., K. II, p. 10, etc. Cf. δ πλᾶ de ζ, ξ, ψ ap. Dion. Thr., p. 14.
3. *L. c.* Cf. infra *de ancipitibus*.
4. Jam ap. Scaurum, K. VII, p. 25.
5. *L. c.*
6. *L. c.* « Quæ modo longam modo brevem post mutas positæ in eadem syllaba faciunt syllabam. »
7. Dion. Thr., p. 14.

lores ægre aboleri possunt [1]. Priorem interpretationem Latini cum veram opinarentur, liquidas *l, m, n, r* dixerunt, « quod minus aridi habeant, et in pronuntiatione liquescant [2] »; etenim « hæ solæ inter consonantem et vocalem immissæ non asperum sonum faciunt [3] »; inde « syllabam positione longam facere non possunt, si in eadem syllaba ponuntur cum muta [4] ».

Immutabiles [5] contra prava Græcorum imitatione nominatæ sunt. Ἀμετάβολα jure dicuntur λ, μ, ν, ρ, « ὅτι οὐ μεταβάλλει ἐν τοῖς μέλλουσι τῶν ῥημάτων οὐδὲ ἐν ταῖς κλίσεσι τῶν ὀνομάτων [6] ». Ipso autem a Prisciano [7] observatum est, et *m*, ut reliquas consonantes, mutari vel abjici in declinatione posse (templum, templi, etc.), et *t, c* servari (caput, capitis, etc.).

De consonantibus denique, vel mutis vel semivocalibus, usitata quoque sunt « *præpositivæ* » et « *subjunctivæ* » vocabula ; de quibus vide supra, p. 51 et n. 8.

De syllaba.

Jam ab Aristotele [8] definitur συλλαβή, et hoc vocabulum Latini immutatum (*syllabam*) sibi assumpserunt [9]. Quamquam autem proprio sensu de pluribus tantum copulatis litteris usurpandum esse videtur [10], dictum tamen abusive est et de singulis vocalibus, cum per se sine adjunctione præpositivæ aut subjunctivæ consonantis emittuntur. Apud Charisium [11]

1. Cf. Dion. Thr., *Ed. Uhl.*, p. 15, i. n. : « Ὑγρὰ δὲ εἴρηται τὰ ἀμετάβολα..... ἐκ μεταφορᾶς τῶν ὑγρῶν χρωμάτων · ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνα δυσεξάλειπτά ἐστιν, οὕτω καὶ ταῦτα δυσμετάθετα. Οὐ γὰρ μεταβάλλει οὔτε ἐν ταῖς κλίσεσιν οὔτε ἐν ταῖς πτώσεσιν..... Ἀπὸ δέ γε τῶν ἐν μουσικῇ λεγομένων τοῦτο ἐνθαῦτα κερδάναις, ὅτι ὑγρὰ κέκληται ταῦτα διὰ τὴν ἀφέλειαν τῆς φωνῆς. »
2. Charis., K. I, p. 8.
3. Victor., K. VI, p. 6.
4. Charis., *l. c.*
5. Cf. Victor., K. VI, p. 7, etc.; Priscian., K. II, p. 21.
6. Dion. Thr., p. 14.
7. K. II, p. 21.
8. *Poet.*, c. 20.
9. Jam apud Lucilium (Ed. Muller, p. 43) et Varronem (VIII, 40) invenitur.
10. Ἀπὸ τοῦ συλλαμβάνειν τὰ γράμματα, Serv., *Comment. in Donat.*, K. IV, p. 423, etc. Cf. Dion. Thr., p. 16; Priscian., K. II, p. 44, etc.
11. K. I, p. 11.

quidem in *conexionem,* vel *conceptionem,* vel *comprehensionem* translatum invenitur[1]; sed hæc latina vocabula pro *syllaba* apud nullum alium grammaticum præter Diomedem[2] usitata deprehendimus.

Ut vero Ennius versum hexametrum in linguam latinam introduxit, quantitatem syllabarum respicere necesse fuit; et, quamquam de hac re nullum testimonium ad nos pervenit, licet tamen affirmare jam tunc temporis vocabula quædam in usu fuisse, quibus diversæ syllabarum species nuncuparentur. Quin porro ea, ut versus hexameter ipse, e Græcis assumpta sint, non dubitari potest. Et re ipsa cum apud eos[3] syllabæ dicerentur aut βραχεῖαι aut μακραί aut κοιναί, μακραί autem ipsæ dividerentur in φύσει et θέσει μακράς, hæc vocabula in latinum tam expresse translata sunt, ut βραχείαις *breves,* μακραῖς *longæ,* κοιναῖς *communes,* φύσει *natura,* θέσει *positio* responderent.

Jam Lucilius[4] « syllabas longas » et « breves » distinxisse videtur[5] : quæ appellationes apud omnes obtinuerunt, præterquam quod Palæmon[6] pro « brevi » « correptam », Verrius Flaccus[7] et Palæmon[8] « productam syllabam » pro « longa » dixerunt. Apud Quintilianum[9] quoque legitur : « Etsi *brevis natura,* tamen *positione longa* est. » At « communes[10] » (quod vocabulum non ante artigraphos IV sæculi deprehendi) a Victorino dicuntur quoque *mediæ*[11], et eam appellationem e Varrone haustam esse Wilmanns suspicatur[12].

1. Tria sunt composita ex *cum* (= συν) et vocabulo congruente cum « — λαβή » (a λαμβάνειν), *nectere, capere, prehendere* (= λαμβάνειν).
2. « Latine conexiones vel conceptiones dici possunt. » K. I, p. 427.
3. Cf. Dion. Thr., p. 17-22.
4. P. 43.
5. Cf. Horat. (*Ad Pison.*, 251) : Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus.
6. Quintil., I, 5, 18.
7. Fest., p. 146.
8. Quintil., I, 5, 60.
9. I, 5, 28. Hæc vocabula Palæmonis quoque esse arbitror.
10. De communibus, cf. Terentian. Maur., K. VI, p. 340, 512; de omnibus vocabulis, Victor., K. VI, p. 26, etc.; Donat., K. IV, p. 368; Diomed., K. I, p. 427; Priscian., K. II, p. 51 sq.
11. *L. c.*
12. P. 64.

Quis vero sit sensus illorum vocabulorum et quam fideliter a græco conversa sint, demonstrare supervacaneum est. De « natura » tantum ac « positione » pauca dicenda sunt. Apud veteres philosophos et grammaticos disputabatur, utrum φύσει an θέσει ὀνόματα fierent, id est, utrum nomina verbaque quadam vi et ratione naturæ ficta essent, an arbitraria voluntate hominum rebus imposita[1]. Eo sensu « naturam » et « positionem[2] » opponere antiqui solebant. Neque de syllabis aliud per eandem oppositionem eos significare voluisse credendum est. Natura ergo longas nativam et propriam habere longitudinem, positione vero longas esse non loco suo, sed arbitrio quodam et quasi lege arbitrabantur[3].

Vocabulorum denique ex « syllaba » derivatorum et compositorum duo genera in usu erant : altera scilicet vere græca, quippe quæ ex duobus græcis constarent, altera, ex prioribus deducta, et in quibus vocabulo « syllabæ », ut a Latinis plane adoptato, latinum præposuerant. Prioris speciei sunt, *monosyllabus* (Plin. ap. Char., p. 137, etc.), *disyllabus* (I, 5, 31,

1. Cf. Nigid. Figul. ap. Gell., X, 4.
2. *Positu,* apud Nigid. Fig., *l. c.; impositicia* verba, apud Varron. (cf. infra, p. 76).
3. L. Havet, *Mém. Soc. Ling.*, IV, p. 21 sq. : « *Positio* doit être entendu dans le sens de convention, définition, attribution.... Θέσις et *positio*, par opposition à φύσις et *natura*, désignent quelque chose de conventionnel, mais non quelque chose d'arbitraire. Θέσις diffère de φύσις, comme la loi diffère de l'équité. » — Hoc autem vocabulum, « positio », non semper eodem sensu apud grammaticos deprehenditur. Interdum enim secundum placita philosophorum, qui vocabula rebus ab hominibus imposita esse volebant, *prima positione* vocabula dicebantur, quæ « natura sua constant » (Quintil., I, 5, 65; cf. Vel. Long., K. VII, p. 68, aliosque) primitiva que appellamus (cf. infra). Cum vero ea vocabula derivatis opponerentur, atque casus obliqui in nominibus et omnes formæ verborum præter primam personam indicativi præsentis et comparativus superlativusque inter derivata collocarentur, « prima positio » dicebatur de nominativo, de prima persona indicativi præsentis (cf. *caput* ap. Varr., IX, 102 sq.), de adjectivo positivo. Cf. Quintil., I, 5, 60, etc. : « [nomina], quorum *prima positio* in easdem, quas Castor, litteras exit »; I, 6, 10 : « *prima positio* paciscor » (cf. indicem vocabul.; Vel. Long., K. VII, p. 78; Scaur., K. VII, p. 24). Denique nihil aliud « positio » significat, nisi formam externam vocabulorum. Sic Quintilianus : « (quædam nomina) feminina *positione* mares, neutrali feminas significant (I, 4, 24). Lepus et lupus simili *positione* (I, 6, 12). Quid vero? quæ tota *positionis* eiusdem in diversos flexus exeunt, cum Alba faciat Albanos et Albenses, volo, volui et volavi (I, 6, 15). » Donatus : « Sunt quædam *positione* singularia, intellectu pluralia (K. IV, p. 376 sq.). » Priscianus : « *Positio* activorum vel neutrorum verborum in *o* desinit (K. II, p. 453). »

et alii), *tetrasyllabus* (Priscian. passim), *polysyllabus* (Priscian.); contra quæ poni possunt *unisyllabus* (Priscian. *uni-* = μονο-), *bisyllabus* (Varr., IX, 91; *bi-* = δι-), *quadrisyllabus* (Varr., VIII, 77; *quadri-* = τετρα-). *Trisyllabus* (Varr., VIII, 77; Vel. Long., K. VII, p. 55) dubitari potest, utrius sit generis. Sed cum apud Varronem, ut *bisyllabus* et *quadrisyllabus*, legatur, et in his vocabulis latina sit pars prior, eodem modo et ipsum fictum esse putandum est.

De dictione et oratione.

Communi usu singulæ syllabæ aut litteræ, singulæque syllabarum aut litterarum comprehensiones, quæ notionem aliquam per se significent et in oratione suam quasi vitam et personam habeant, appellantur *verba*[1]. *Verbum* igitur Varro[2] definit, « orationis vocalis *esse* partem, quæ sit indivisa et minima. » Sed cum duplex hujus vocabuli esset intellectus (nam et una pars orationis *verbum* nominatur), quidam, ut vitarent ambiguitatem, ad generalem sensum exprimendum *vocem*[3], *locutionem* aut *dictionem*[4] dicere maluerunt. *Dictionem* vero posteriores grammatici usurpare solent : quod vocabulum, jampridem sensu latiore usitatum, ideo eos elegisse verisimile est, quia optime græco « λέξις » forma respondet.

Cum autem apte compositæ ordinatæque dictiones perfectam sententiam demonstrant[5], fit *oratio* (gr. λόγος). At *oratio* jam apud Terentium[6] legitur, non sensu quidem grammatico, sed ut tamen designet « quod dicitur ad sententiam exprimendam », neque aliud apud Varronem[7] quam apud Priscianum[8] significat.

1. Cf. Quintil., I, 5, 2.
2. X, 77.
3. Eodem sensu usurpatur apud Græcos φωνή.
4. Quintil., *l. c.* Cf. apud Græcos λέξιν; *locutio, dictio* : λέξις = *loquor, dico* : λέγω.
5. Cf. Diom., K. I, p. 300; Prisc., K. II, p. 53, etc.
6. *Adelph.*, IV, X, 19.
7. VIII, 44; X, 14 sq.
8. K. II, p. 54 sq.

Quot et quales *orationis partes*[1] (τοῦ λόγου μέρη) singuli sive Græci sive Latini grammatici constituerint, quamvis hæc per se quæstio summi sit momenti, investigare non meum est. Eam vero in octo partes divisionem sequar, quæ valuit apud recentiores. Sed de notionibus quæ ad plures pertinent, de *genere* scilicet, *numero* et *casibus*, ante disseram, quam ad singulas transeam inspiciendas.

De genere.

Ut in natura animantes seu mares seu feminæ, et res sine ullo sexu inveniuntur, sic in græca lingua tres species nominum, alterutrum scilicet aut nullum quodam modo sexum habentium, dignosci posse, Protagoras primus observavisse videtur[2] : inde ἄρρενα (ὀνόματα) distinxit καὶ θήλεα καὶ σκεύη. Hic vero quasi grammaticus sexus, qui nominibus, pronominibus et participiis inest, γένος apud Græcos appellatur, et Varro hoc vocabulum haud inepte in latinum *sexum* vertit[3]. Sed ceteri grammatici et jam ipse Varro[4] figuram græci « γένους » potius quam sensum exprimentes, *genus* dixerunt.

Tria autem *genera* nominantur apud Varronem, *virile, muliebre, neutrum*[5] : quorum nominum priora duo non obtinuerunt, ut quæ et ad genus hominum tantummodo pertinerent, nec græca « ἀρσενικόν, θηλυκόν[6] » proprie redderent.

1. Sic nominantur diversa genera dictionum jam ap. Varr., VIII, 44, etc. Cf. Quint., I, 4, 17; Scaur., K. VII, p. 34, etc. Velius autem Longus (K. VII, p. 61, etc.) eadem appellatione et singula vocabula designat. « ...Abscondit. Hæc enim pars orationis composita est. »
2. Arist., *Rhet. maj.*, III, 5.
3. VIII, 46.
4. X, 8, etc. Cf. Cic., *De Orat.*, III, 11, 40; Quintil., I, 4, 23; Plin. ap. Char., K. I p. 77, etc.
5. VIII, 45; IX, 40 sq., etc.
6. Dion. Thr., p. 24, etc.

Mox enim pro his *masculinum*[1], id est quod maris est, et *femininum*, id est quod feminæ[2], usurpaverunt grammatici.

Ea autem vocabula Verrii Flacci ætate in usum jam venisse, sed nondum ab omnibus adoptata esse ex hoc loco Festi suspicor : « Masculina et feminina vocabula dici melius est secundum Græcorum quoque consuetudinem, qui non ἀνδρικά et γυναικεῖα ea, sed ἀρρενικά dicunt et θηλυκά[3]. » Sed post Palæmonem[4] vicerunt, præterquam quod « virile genus » aliquando apud Gellium[5], antiquitatis videlicet imitandæ studio, legitur.

Nomina, quæ nec masculina nec feminina sunt, Aristoteles vocabat τὰ μεταξύ, appellationem usurpatam a Protagora non recipiens[6]. « Videbat enim, quia lingua minime sibi constat, neque omnia, quæ natura sua neque masculino neque feminino generi adnumerari possunt, neutrali genere in lingua proferuntur, huius generis nomen haud apte peti a rebus (σκεύη), quæ eo contineantur, sed ex comparatione cum prioribus duobus generibus esse imponendum[7]. » Sed cum tertium genus non inter altera duo vere medium, at eorum potius sit abnegativum[8], Stoici οὐδέτερον recte illud appellaverunt[9] : quod nomen et retinuerunt ceteri grammatici Græci, et Latini in *neutrum* ad verbum traduxerunt. *Neutrale*[10] postea adjectivum finxerunt ad id significandum, quod ad « neutrum » attinet.

1. Ex hoc tamen loco Prisciani (VII, 56, K. II, 333) colligi posse videtur jam apud Varronem *masculinum* et *femininum* usitata esse : « Varro de lingua latina ait talia ex Græco sumpta ex masculino in femininum transire. » Sed quoniam ipsius Varronis in libris ea vocabula nusquam invenimus, Priscianum judico hunc locum indiligenter rettulisse.
2. Cf. ἀρσενικόν : ἄρσεν ; θηλυκόν : θῆλυ.
3. P. 153. Cf. supra, p. 18 sq.
4. Quintil., I, 4, 24 ; 5, 60, etc. ; cf. Plin. ap. Char., K. I, p. 77 ; Vel. Long., K. VII, p. 57 ; Scaur., K. VII, p. 12, etc. ; Roman. ap. Char., K. I, p. 52 et passim p. 116-147.
5. XI, 1 ; XIII, 7 ; XV, 9, etc.
6. Cf. Lersch, *Sprachphilos.*, II, p. 175.
7. Classen, *De gramm. græc. primord.*, p. 62.
8. Cf. Apoll. Dysc., *De constr.*, I, 3 : « Μετὰ τὸ ἀρρενικὸν καὶ θηλυκὸν τὸ τούτων ἀποφατικὸν οὐδέτερον. » Cf. Prisc., K. III, p. 119 : « Post masculinum et femininum, eorum abnegativum, neutrum. »
9. Lersch, *l. c.*, p. 175.
10. Cf. Quint., I, 4, 24, etc. ; Roman. ap. Char., K. I, p. 52, etc.

Præter hæc tria genera duo quoque adnumerabantur a Dionysio Thrace[1] : « Ἔνιοι δὲ προστιθέασι τούτοις ἄλλα δύο, κοινόν τε καὶ ἐπίκοινον. » Quem imitatus Palæmon[2] *commune* quoque et *epicœnon* vel *promiscuum*[3] adjiciebat. Sed sive ea in latinam grammaticam princeps transtulit, sive jam in scholis usitatam consuetudinem recepit[4], non multum inde scientiæ ac rationi humani sermonis contulit. Notiones enim, quæ his appellationibus significantur, nec cum tribus primis generibus nec inter se congruunt. Nam per masculinum, femininum neutrumque grammaticæ qualitates designantur, quæ neque ab externa nominum forma neque a sexu nominatarum rerum necessario pendent, cum rosa et agricola, Glycera et Glycerium genere discrepent. At « commune genus » ad formam tantum nominis, quæ duobus vel tribus generibus eadem est, et « promiscuum » ad sexum hominis vel bestiæ, qui genere non dignoscitur, pertinet.

Attamen « commune » ipsum in duo genera separatum est. Donatus[5] enim distinguit *commune*, « quod simul masculinum femininumque significat, ut hic et hæc sacerdos », ab *omni*[6] « quod tribus generibus convenit » (felix, etc.[7]).

Hæc autem vocabula quomodo a Græcis transtulerint aut assumpserint Latini, per se liquet et explicare supervacaneum est. Sed quamquam « epicœnon » in « promiscuum » haud infeliciter conversum erat, Diomedes tamen obscure dixit

1. P. 21 sq.
2. Hoc Palæmoni vindico, quia Quintilianus (I, 4, 23 sq.) et Charisius (K. I, p. 17) miro modo inter se congruunt. Quintilianus enim : « Non erit contentus, ait, tradere in nominibus tria genera et ea quæ sunt duobus omnibusve communia. Nec statim diligentem putabo, qui promiscua, quæ epicœna dicuntur, ostenderit, in quibus sexus uterque per alterum apparet. » Charisius : « Est et commune aut duobus generibus, ut hic et hæc canis, aut tribus generibus, ut hic et hæc et hoc felix. Adicitur quintum genus, quod græce ἐπίκοινον dicitur, latine promiscuum, ut hæc mustela aquila, etc. »
3. De sensu vide superiorem notam.
4. Cf. supra, p. 19 sq.
5. K. IV, p. 375 ; cf. *Instit. Art.*, K. IV, p. 52, et Donati commentatores.
6. παντοῖον. Cf. Dionys. Thr. Schol., Ed. Uhlig, p. 25, i. n. Romanus autem (Char., K. I, p. 129) « trium generum nomina » dicit.
7. Diomedes autem (K. I, p. 301), Excerptor Bobiensis (K. I, p. 534), Dositheus (K. VII, p. 391), Priscianus (K. II, p. 156) cum Palæmone consentiunt. De Romano autem (K. I, p. 128) incertum est. Cf. tamen superiorem notam.

subcommune, ut ex græco verbum pro verbo traduceretur[1]. Pro *omni* denique Charisius[2] *trigenes* adhibuit, quod græcum est τριγενές[3].

Quæ autem nomina genera recipiunt, ea aut *fixa* aut *mobilia* esse observandum est. *Fixa* sunt[4] quæ in suo statu ac genere permanent, ut vir, mulier ; *mobilia,* quæ per duo (Tullius, Tullia), aut tria genera (probus, proba, probum) moventur flectunturque[5]. Hanc divisionem nusquam apud Græcos repperi, et, quantum ex monumentis nobis traditis inferri potest, peculiaribus appellationibus insignierunt per se Latini : quas appellationes grammatici non creaverunt, sed e communi lingua mutuati sunt.

De numero.

Ut ἀριθμός apud Græcos, sic apud Latinos *numerus*[6] hanc nominum, pronominum et verborum figuram significat, qua quantitatis discretio fieri potest[7] : quæ appellatio cur in consuetudinem grammaticorum venerit, perspicuum est. Duo sunt autem numeri : *singularis*[8] (ἑνικός), quo vocabulo, quicquid ad unam pertinet rem aut personam, nominari solet, *pluralis* (πληθυντικός), quod nomen ex « pluribus[9] » a grammaticis deductum esse videtur, et jam Verrii Flacci ætate usitatum est[10] ; *plurativus* autem apud Gellium[11] deprehenditur et ideo

1. K. I, p. 301 ; sub = ἐπί, communo = κοινόν. Cf. supra, p. 35.
2. K. I, p. 44.
3. Apoll. Dysc. Ed. Schneider, p. 141 ; cf. Lersch., *l. c.*, II, p. 178.
4. A « figendo ».
5. Donat., K. IV, p. 376 ; *Inst. Art.*, K. IV, p. 211 ; Consent., K. V, p. 346 ; Prisc., K. II, p. 192.
6. Jam. ap. Cic., *De orat.*, XIII, 11, 40 ; cf. Plin. ap. Char., K. I, p. 129, 135 ; Vel. Long., K. VII, p. 57 ; Scaur., *ibid.*, p. 19.
7. Prisc., K. II, p. 172.
8. Jam ap. Varr., IX, 63, etc. ; cf. Verr. ap. Fest., p. 246 ; Quintil., I, 5, 16 ; Plin. ap. Char., K. I, p. 120, etc. ; Vel. Long., K. VII, p. 53 ; Scaur., *ibid.*, p. 12 ; Roman. ap. Char., K. I, p. 52.
9. Cf. πληθυντικός e v. πλῆθος.
10. Cf. pluraliter (Verr. ap. Fest., p. 333), pluralis (Quint., I, 5, 16 ; Plin. ap. Char., K. I, p. 118).
11. I, 16 ; V, 21 ; XIX, 8 ; XX, 6, etc. Hoc tamen vocabulum non obtinuit.

dictus est, quod, ut plurima grammatica vocabula, in — *tivus* desinit. At Varro[1] ejusque æquales, Cæsar et Nigidius Figulus[2], hunc numerum *multitudinis*[3] appellabant, nullo tum peculiari nomine ficto. Tertium esse numerum Probus[4] (?) docet, qui « singulare et plurale nomen continere invenitur, ut puta dies, nubes, acies, etc. », *communis*que vocetur. In ea autem inani frigidaque distinctione commorari non opus est. *Dualis*[5] denique, id est qui ad duo attinet, quamvis hunc numerum latina lingua non possideat, ad græcum δυϊκόν designandum nonnunquam reperitur : hoc vocabulum quoque a grammaticis est fictum.

De casibus.

Ejusdem nominis pronominisve plures proferri possunt formæ, quæ singulæ declarant exprimuntque qua ratione et quo sensu id nomen pronomenve cum aliis in oratione vocabulis conjungatur. Has quidem varias formas πτώσεις apud Græcos[6] appellatas, Latini, græcum verbum traducentes, *casus*[7] nuncupaverunt. Illius autem appellationis quæ sit origo et primitivus sensus, dijudicare et certis argumentis ostendere difficile est[8]. Aristotelis enim, qui primus ea ad notionem grammaticam exprimendam usus esse videtur, antiquorumque Stoicorum, qui non eodem prorsus sensu eam usurpaverunt, quominus sententiam eruamus exactoque persequamur judicio, testimoniorum penuria impedimur. A posterioribus autem interpretibus tam pueriliter explicatur, ut eos credi non possit

1. VIII, 48 ; X, 54, etc.
2. Gell., XIX, 9 ; XIII, 25.
3. Multitudo = πλῆθος ; cf. supra, p. 62, n. 9. Roman. ap. Char., K I, p. 52 : « in multitudine, id est plurali numero ».
4. *Inst. Art.*, K. IV, p. 74.
5. Quint., I, 5, 42, etc.
6. Jam ap. Aristot., *Poet.*, 20, etc.
7. Jam ap. Varronem, passim ; cf. Nigid. Fig. ap. A. G., XIII, 25 ; Cic., *De Orat.*, III, 11, 40 ; Verr. Flac. ap. Paul., p. 58 ; Quintil., passim ; Plin. ap. Char., K. I, p. 120, etc.
8. Cf. Steinthal, *l. c.*, I, p. 265-268, 303-305.

opinionem illorum philosophorum rettulisse subtilissimorum. Aristoteles non magis nominum quam verborum mutatas figuras et omnes omnino terminationes, nec solum quos nunc *casus* vocamus, sed omnes quoque a primitivis[1] nominum et verborum formis derivatas formas πτώσεις dicebat. Hoc vero nomen his ideo impositum esse, quia ab illis inflexæ caderent[2], quis serio nunc contendere audeat ? Ad notionem tanti momenti significandam, cui persuaderi possit hac inani metaphora illum usum esse summo et sagacissimo ingenio virum ? Immo, ut de nomine tantummodo dicam, cum ille nominativum verum merumque « nomen » (ὄνομα) esse arbitraretur, πτώσεις appellavit ejus flexiones, quasi essent ei accidentia[3]. Stoici vero, hoc vocabulum cum reciperent, ab Aristotelis usu recesserunt. Nam nominativo quoque hanc appellationem vindicaverunt[4] : non quo hanc formam « ex ratione in orationem tamquam decidere[5] » opinarentur, sed quia aut, ut fit, sensus paulum extensus est, aut potius res nominatas fortuito objectas credebant, et inde, quod Aristoteles ὄνομα, hi πτῶσιν denominabant[6]. Eadem porro ratione solis nominibus (et pronominibus) proprium esse hoc vocabulum judicaverunt, idque derivatis verbisque negaverunt. Primitivo igitur sensu πτῶσιν, « quod accidit » significasse verisimile est, et Latinos apte « casum » inde deduxisse apparet.

Primi Stoici et certum casuum numerum constituisse et singulis casibus nomina indidisse videntur[7]. Qui id de quo aliquid prædicatur (gallice *le sujet*) in oratione denotat, is jure habitus est simplicissimus casus, et quasi mera justaque no-

1. Has autem ipsas (in nominibus nominativos) proprie ὀνόματα et ῥήματα appellare solebat.
2. Εἰκότως λέγομεν πτώσεις διὰ τὸ πεπτωκέναι ἀπὸ τῆς εὐθείας. Ammon. *in Arist.*, περὶ Ἑρμην., p. 104, etc. Cf. Schmidt, *Stoicor. grammat.*, p. 60, n. 85 ; Steinthal, *l. c.*, I, p. 303.
3. Cf. Steinthal, *l. c.*, I, p. 301 : « Πίπτω bedeutet : fallen, vorfallen.... in eine Lage kommen ; πτῶσις bedeutet also die Weise, wie etwas fällt, gerät und hat genau den Sinn unsres « Fall », etc. »
4. Hæc quæstio diu agitata fuit apud veteres, *nominativus*ne vere casus appellari posset.
5. Cf. Schmidt, *l. c.*, p. 59.
6. Cf. Steinthal, *l. c.* ; Schmidt, *l. c.*, p. 55 sqq. ; Plutar., *Quæst. Plat.*, X.
7. Cf. Schmidt, *l. c.*, p. 59 ; Gräfenhan, *l. c.*, I, p. 475, etc.

minis forma : nam rem per se significat sine ulla alia adjecta notione, ut et quod gallice « *l'attribut* » dicimus indicare possit. Itaque eum Stoici ὀρθήν[1], id est sine ulla mentis ad aliam notionem inclinatione, alii εὐθεῖαν[2], id est sine ullo sensus deverticulo et anfractu, appellaverunt. Alii vero, cum Aristotelis vestigiis insistere vellent, ὀνομαστικήν[3] eum, qui scilicet merum nomen exprimit, nuncupaverunt. Item Latini aut casum *nominandi*[4] vel *nominativum*[5], id est qui tantummodo nominat, aut *rectum*[6] dixerunt. Quarum dictionum prima per se perspicua est ; secunda a grammaticis ex « nomine » aut « nominando »[7] deducta est, tertia idem significat quod ὀρθή et εὐθεῖα.

Recto autem casui cum ceteri opponebantur, iis nomen dabatur πλάγιαι[8], ut quorum sensus a primitiva nominis notione paululum deflecteretur. Comparabatur enim nominativus recte stanti aut cadenti stilo ; qui, si quamlibet vergeret ad partem, inde orirentur alii casus. Eos ergo propria translatione *obliquos* Latini appellarunt[9].

Rectus quoque casus a quibusdam[10] habebatur *vocativus*, « quia in omni declinatione similes sunt (nominativus et vocativus) excepto in secunda declinatione[11] ». Dicitur vero *vocandi casus*[12] vel *vocativus*[13] a « vocando » sicut apud Græcos

1. Diog. Laert., VII, 70.
2. Dion. Thr., p. 31.
3. Dion. Thr., *ibid.*
4. Varr., IX, 76 sq. ; Gell., XIV, 5 ; XX, 6.
5. Jam ap. Varr., X, 23, etc. ; cf. Quint., I, 6, 14 ; Velium Longum, K. VII, p. 56 ; Scaurum, id., p. 20.
6. Var., VIII, 1 ; Cic., *Orat.*, XVIII, 162 ; Nigid. Figul. ap. Gell., XIII, 26 ; Fest., p. 294 ; Quint., I, 4, 13 ; Scaur., K. VII, p. 34 et plerique artigraphi.
7. Ut ὀνομαστική ab « ὄνομα » aut « ὀνομάζειν ».
8. Cf. Diog. Laert., VII, 65.
9. Jam ap. Varr., VIII, 1, etc. ; cf. Fest., p. 294 ; Vel. Long., K. VII, p. 57 ; Scaur., id., p. 34, plerosque artigraphos ; Prisc., K, II, p. 184 ; Steinthal, *l. c.*, I, p. 303.
10. Cf. Donat., K. IV, p. 377 ; Cledon., K. V, p. 44 ; Consent., *ibid.*, p. 351.
11. *Comment. Einsidl. in Donat.*, *Anecd. Helvet.*, p. 243. Alii vero eum *recti similem* nuncupaverunt ; cf. Consent., *l. c.*
12. Varr. IX, 91 ; Nig. Fig., ap. Gell., XIII, 26 ; Gell., XIV, 5, etc. Sic casus per gerundium (vocandi, etc.) nominatos esse a Nigidio Figulo ex uno loco Gellii cognoscitur. Varro autem nunc gerundium (accusandi), nunc adjectivum (accusativum) ad eundem casum designandum usurpat ; « dandi » tantum et « vocandi », non dativus et vocativus in ejus libris, qui ætatem tulerunt, inveniuntur, sed id forte factum esse, atque tam vocativum quam accusativum Varronem dixisse credo.
13. Velius Longus, K. VII, p. 56 ; Scaurus, id., p. 22, aliique artigraphi.

κλητική[1] a « καλεῖν » : quæ nomina explicare non opus est. Quemadmodum autem quidam eum προσαγορευτικήν[2] nominabant (a προσαγορεύειν = salutare aut interpellare), sic apud Latinos *salutatorium* a salutando[3].

Alii casus apud nos uno tantummodo nomine designantur[4]. Apud antiquos vero, cum plures pariter notiones exprimere possint, ex his pluribus notionibus diversas appellationes interdum acceperunt. Qui igitur in ejusmodi locutionibus : « τῶν ὄντων τὰ μέν ἐστιν ἀγαθά, τὰ δὲ κακά, etc. », genus (τῶν ὄντων) demonstrat, eum Stoici γενικήν (γένος = genus) nuncupaverunt[5], at alii κτητικήν vel πατρικήν : κτητικήν quidem, quod per eum quoque significatur possessio (κτῆσις), et πατρικήν, quod patrem interdum aut patriam indicat[6]. Quæ vocabula Latini tria traduxerunt. « *Patricus* » autem antiquissimum videtur fuisse nomen, quod quidem apud Varronem jam inveniatur[7]; *patrius* tamen quoque dictus est[8] et *paternus*[9]. Sed *genetivus* (= γενική) obtinuit et a nobis etiam nunc usurpatur. Hoc vero vocabulo Verrium Flaccum et Palæmonem usos esse, quantum ex Festo et Quintiliano id colligi potest, credendum est[10]. De sensu græci vocabuli posteriores artigraphi erraverunt, arbitrati hunc casum suum nomen accepisse « vel quod genus per ipsum significemus, ut « genus est Priami », vel quod generalis videatur esse hic casus genetivus, ex quo fere omnes derivationes et maxime apud Græcos soleant fieri[11] ». Cum autem plerique recentiores contendunt hoc errore Latinos inductos esse, ut genetivum per-

1. Dion. Thr., p. 31.
2. Cf. Dion. Thr., *ibid.*
3. Prisc., K. II, p. 186.
4. Vocativus quoque; sed nominativus *cas direct* gallice nominari potest.
5. Diocles ap. Diog. Laert., VII, 65; cf. Schmidt, *l. c.*, p. 59; Steinthal, *l. c.*, I, p. 302 sq.
6. Cf. *Stephan. Thesaur.*
7. VIII, 67; IX, 54; 76; 85.
8. Gell., IV, 16, sed Varronis et Nigidii Figuli opinionem referens.
9. Prisc., K. II, p. 185.
10. Fest., p. 246; Quint., I, 6, 14. Cf. supra, p. 17, 24; cf. Plin. ap. Char., K. I, p. 120, Asp. ap. Char., K. I, p. 140; Vel. Long., K. VII, p. 56; Scaur., id., p. 20.
11. Priscian., *l. c.*

verse potius dicerent quam « generalem[1] », iis non assentiendum censeo, quia, si perspexerimus qua ratione vocabula grammatica apud Latinos fingi soleant quotque in *-tivus* desinant, « genetivum » profecto apparebit non aliud esse quam « generalem », grammatica ornatum terminatione, et proprie ex græco translatum esse, ita ut γενι- et *gene-*, -κη et *-tivus* inter se planissime respondeant. At « *possessivum* » vocabulum, quod græcum « κτητικήν » interpretatur, nusquam inveniri credo nisi apud Priscianum[2]. Apud Gellium[3] denique dicitur Nigidius genetivum vocasse *interrogandi casum*. Cur autem hac appellatione usus sit, quæ ab Apollinari Sulpicio, Frontonis Gelliique æquali, usurpata quoque esse videtur[4], obscurum est.

Eadem forma, et cui detur aliquid et cui mandetur, apud Græcos pariter ac Latinos demonstratur. Inde Stoici eum casum δοτικήν[5], alii interdum quoque ἐπισταλτικήν nominaverunt[6]. Prius quidem vocabulum in *dandi casum* a Nigidio[7] et Varrone[8] conversum est : quæ locutio varietatis causa apud Gellium sæpe est usitata[9]. Pro ea vero grammatici *dativum* (a dando) finxerunt et usurpare solent[10]. *Commendativum* tamen, quo fidelius vestigia Græcorum ἐπισταλτικήν interpretando sequeretur, videtur creavisse Priscianus[11].

Qui casus rem effectam plerumque indicat, eum e v. « αἰτια-

1. Cf. Steinthal, *l. c.*, I, p. 302 : « Was die γενική betrifft, so ist die lateinische Uebersetzung *genitivus* gewiss eben so falsch, wie die der αἰτιατική in « *accusativus* ». Et Max Müller, *la Science du langage, trad. franç*, p. 113 : « Le latin *genitivus* est une véritable bévue, car le mot grec *geniké* n'a jamais pu signifier *genitivus*.... Il signifiait *casus generalis*, le cas général, ou plutôt le cas qui exprime le genre ou l'espèce : telle est la force réelle du génitif. »
2. *L. c.*
3. XIII, 26.
4. Gell., XX, 6.
5. Diocl. ap. Diog. Laert., *l. c.*; Dion. Thr., p. 31.
6. Dion. Thr., *ibid.*
7. Gell., XIII, 26.
8. XIII, 35; X, 21. Cf. supra p. 65, n. 12.
9. Cf. IV, 16, etc.
10. Festus, p. 282; Quint., I, 4, 26: Plin. ap. Char., K. I, p. 122; Vel. Long., K. VII, p. 57; Scaur., *id.*, p. 24.
11. *L. c.*

τός », id est aliqua factus causa (αἰτία), Stoici αἰτιατικήν appellaverunt[1]. Sed cur hoc ei nomen impositum esset, mox grammatici ideo obliti sunt, quod primitivo jam sensu[2] αἰτιατός non usitatum erat; « αἰτιατική » igitur ex notione « αἰτιάσεως » (accusatio) deductum esse crediderunt. Inde jam apud Varronem hic dicitur *accusandi casus*[3] vel *accusativus*[4], apud Charisium[5] autem *incusativus* : quòd vocabulum a Palæmone Charisium exscripsisse arbitratur Morawski[6]. Priscianus vero[7], licet aptius eum casum *causativum* unus appellet, hoc nomen exemplo sic interpretatur[8], ut non alio sensu quam accusativum dictum esse appareat[9].

Videmus ergo, quomodo ex græco in latinum translata sint nomina casuum, qui in utraque lingua pariter exsistebant. Varro autem sextum casum Romanos habere observavit[10], quem, cum nomen ei nullum apud Græcos inveniret, interdum *sextum*, interdum *latinum* appellavit[11]. Sed hæc vocabula aliorum casuum nominibus male idcirco respondebant, quod per se, quid significaret *sextus casus*, neutrum indicabat. Itaque cum plerumque rem demonstret a qua aliquid proficiscatur auferaturve, creata est appellatio e notione auferendi deducta, *ablativus* scilicet. Qua num jam Cæsar usus sit, ut Lersch[12] ex Charisii locis colligere videtur, in quibus Plinii potius quam Cæsaris verba referuntur[13], incertum est. Sed apud Festum et Quintilianum deprehenditur, unde liquet

1. Diocl. ap. Diog. Laert., *l. c.*; Dion. Thr., p. 32; Trendelenburg, *Act. soc. Græc. Lips.*, I, p. 123; Lersch, *l. c.*, II, p. 186; Steinthal, *l. c*, I, p. 302.
2. Aristot., *Anal. post.*, II, 16.
3. VIII, 66.
4. VIII, 67; hoc vocabulum apud ceteros omnes deprehenditur; cf. Plin. ap. Char., K. I, p. 129; Asp. ap. Char., K. I, p. 140; Vel. Long., K. VII, p. 56.
5. K. I, p. 17, etc.
6. Hermes, XI, p. 349.
7. *L. c.*
8. « In causa hominem facio. »
9. Posterius *activus* quoque, « quia verbis *activis* adjungitur », nominatus est. Cf. Vergil. gramm., *Anecd. Helvet.*, p. 193, et *Comm. Einsidl.*, *l. c.*, p. 243.
10. X, 62.
11. Cf. Diomed., K. I, p. 302; Consent., K. V, p. 351.
12. *L. c.*, II, p. 231.
13. Cf. Charis., K. I, p. 122 et 133; Gräfenhan, *l. c.*, IV, p. 157 sq.

eam non tam diu post Cæsarem usurpatam esse[1]. *Comparativum* quoque eum casum vocat Priscianus[2], ut qui comparativis sæpe adjungatur (fortior Hectore). Quæ ceterum sex casuum nomina adhuc retinemus, ea in usu frequentiore inde a I p. Chr. sæculo fuisse, manifestum est[3].

Septimum præterea quidam *casum* esse contenderunt, ablativo forma similem, sensu vero omnino disparem[4]; quem quattuor proferri modis Charisius docet. Invenitur enim, 1° post *in* præpositionem; 2° cum copulantur duo ablativi, alter nominis, alter participii (gall. *ablatif absolu*); 3° cum copulantur duo ablativi sine participio (exempli gratia : « nullo timore »); 4° cum causa aut instrumentum exprimitur[5].

« Non nulli etiam adiungunt *octavum casum*, qui fit, cum quid per accusativum cum præpositione possumus dicere et dicimus per dativum sine præpositione, ut it clamor in cælum et it clamor cælo, etc.[6]. » Sed in his distinctionibus, quibus, quæ ad formas et quæ ad constructionem (σύνταξιν) pertinent, perverse commiscentur[7], et in earum nominibus, quæ ex solito casuum ordine deducuntur, non opus est diutius commorari. Nec plura de casibus ipsis.

Cum autem vocabuli cujuslibet casus ordine enumerantur, fit *declinatio*, vel *declinatur* vocabulum : quæ nomina a græcis « κλίσις[8], κλίνειν » traducta sunt. Atque in utraque lingua ea grammatici usi sunt metaphora, quasi primitiva « declinati »

1. Fest., p. 282; Quint., I, 4, 26, etc.; Scaurus, K. VII, p. 25. Apud Græcos etiam sextum casum Priscianus invenit, eique veteres formas adnumerat in — θεν finitas. Hæc opinio, quæ olim absurda haberi poterat, a recentissimis grammaticis confirmata est (Henry, *Gram. comp.*[3], § 187, 6). Græci tamen cum præcepta grammaticæ latinæ in suam linguam traducebant, *ablativum* dicebant ἀφαιρετικήν (ab ἀφαιρεῖν = auferre) vel ἀπενεκτικήν (ab ἀποφέρω, quod forma potius quam sensu verbo « auferre » respondet); cf. Dosith., K. VII, p. 392.
2. K. II, p. 187.
3. Sunt quoque sola ap. Jul. Roman. usitata (K. I, p. 54, 117, 116-147).
4. Quintil., I, 4, 26; Excerpt. Bob., K. I, p. 534; Consent., K. V, p. 351, etc.
5. Priscianus (K. II, p. 190) contra : « Quibusdam septimus casus esse videtur ablativus, quando sine præpositione profertur; quod satis irrationabile videtur, etc. »
6. Serv., K. IV, p. 433; cf. Cledon., K. V, p. 44, et alios. Nota tamen hunc Consentii locum (K. V, p. 351) : « Plerique etiam *octavum casum* putaverunt addendum, ut dignus numere, mactus virtute, etc. »
7. Quod sæpius fit apud veteres grammaticos, et semel notavisse satis erit.
8. Cf. Dion. Thr., p. 14, etc.

vocabuli forma ita inclinaretur, ut inde facile aliæ derivatæ formæ exirent. Hic ergo in memoriam illa revocanda est comparatio, de qua paulo supra mentionem feci, qua cum stilo recto *nominativus,* cum obliquo alii casus conferuntur. Sensu autem primitivo per has appellationes, κλίσιν scilicet et « declinationem », omnia apparet derivationis genera designari potuisse. Et re ipsa de nominibus ac verbis juxta usitatam κλίσιν apud Dionysium Thracem invenimus[1], itemque declinationem apud Varronem[2], Quintilianum[3], aliosque, inter quos Priscianum ipsum esse[4] haud mediocriter miramur. Varro etiam et ab homine homunculum, et a mamma mammosum, et a novo novius novissimumque « declinata » esse dicit[5]; pro « declinatione » *declinatum*[6] quoque adhibet, *inclinamentum* vero Nigidius[7], et Gellius *inclinatum*[8]. Verbum denique *inclinare*[9] apud Varronem, sæpiusque apud Gellium[10] invenitur. Sed « declinatio » et « declinare » tandem vicerunt et de casibus ordine dispositis præsertim dicta sunt. Inde dividuntur nomina apud posteriores grammaticos inter plures « declinationes[11] », quas Charisius *ordines* quoque appellat[12]. A « casu » autem *casuale*[13], id est, quod casus habet (gr. πτωτικόν[14]), a « declinatione » vel » decli-

1. Cf. p. 14, 61, 53.
2. VIII, passim ; X, 77.
3. I, 4, 13, 22 ; cf. Scaur., K. VII, p. 20, 21.
4. K. II, p. 373, 452.
5. VIII, 14 ; 15 ; VI, 59, etc.
6. IX, 34 ; 53, etc.
7. Apud Gell., IV, 9.
8. III, 12.
9. Inclinantur in tempora aut in casus (IX, 34) ; alio autem loco (XI, 51), declinare in casus.
10. I, 16 ; X, 2 ; 13 ; XVIII, 5 : « Equitare, quod verbum e vocabulo *equitis* inclinatum est. »
11. Quo tempore et a quo grammatico primum inter quinque declinationes ex genetivo singulari nomina ordinata sint, plane nescitur. Excerptor Bobiensis, qui ea in quattuor tantum declinationes distribuit, quintam « a veteribus grammaticis » distinctam fuisse dicit (K. I, p. 547 ; cf. Charis., *ibid.*, p. 31). Quinque declinationes fuisse apud Sacerdotem credendum est ex « Probi Catholicis », K. I, p. 3.
12. K. I, p. 18, 21, etc.
13. « Casualis pars orationis » legitur ap. Varr. (VIII, 52, etc.).
14. Cf. Dionys. Thr., Ed. Uhlig, p. 24, etc.

nando » *declinabile,* id est, quod declinari potest (gr. κλιτικόν[1]) deduxerunt. Hoc vero vocabulum non deprehendi ante Diomedem[2], neque scio an ab eo creatum sit, ut, quod sæpe apud eum animadvertitur, græcam appellationem exactius redderet. Varro enim[3] distinguit « duo genera verborum, unum *fecundum,* quod declinando multas ex se parit disparilis formas, ut est Lego Legi Legam, sic alia, alterum genus *sterile,* quod ex se parit nihil, ut est Etiam, Vix, Cras, Magis, Cur. » Metaphora ergo usus, hæc duo genera vocabulorum designat, nullum, credo, grammaticum Græcum in eo imitatus[4]. Neque talem divisionem apud ullum Latinum repperi ante Diomedem, qui, postquam partes orationis enumeravit, addit : « Ex his primæ quattuor declinabiles sunt, sequentes indeclinabiles[5]. » Sed Servius[6] : « Tres partes orationis sunt, inquit, quæ casibus declinantur, nomen, pronomen, participium, et una quæ temporibus, id est verbum ; ceteræ omnes quattuor non declinantur » : quasi nullum vocabulum peculiare ad hæc duo genera designanda in usu esset. Alio tamen loco[7] « indeclinabile » usurpat ; sed apud Dionysium quoque ἄκλιτον[8], non κλιτικόν deprehenditur. In II denique libro operis « Sergii explanatio in Donatum » inscripti legitur : « De omnibus partibus orationis declinabiles sunt, etc[9]. » Sero igitur et post « indeclinabile » vocabulum « declinabile » usurpatum esse arbitror.

Declinabilia nomina, pronomina et participia Varro jam animadverterat habere alia unum solum casum, alia tres, alia quattuor, alia quinque, alia sex[10]. Sed illas *casuales for-*

1. Apollon. Dysc., *De pronom.*, p. 71 (Schneid.).
2. K. I, p. 301, etc.
3. VIII, 9.
4. Cf. Steinthal, *l. c.*, p. 218. Cf. supra, p. 14, n. 1.
5. *L. c.*
6. K. IV, p. 428.
7. Aen., 2, 14.
8. Ed. Uhlig, p. 72.
9. K. IV, p. 534.
10. IX, 52.

mas, ut dixerunt posteriores grammatici [1], nullo proprio nomine insigniit [2], iisque nullum quoque cognovisse Gellius videtur, qui de « mille » sic eloquatur : « Neque ceteros casus requiri oportet, cum sint alia pleraque vocabula, quæ in singulos tantum casus, quædam etiam, quæ in nullum inclinentur [3]. » Sex autem formas distinxisse Apollonium Dyscolum et ἄπτωτα, μονόπτωτα, δίπτωτα, τρίπτωτα, τετράπτωτα, πεντάπτωτα ὀνόματα nominasse, nescio quo testimonio arbitrentur Lersch [4] et Gräfenhan [5]. Græca saltem hæc nomina adhibuerunt Donatus [6], Servius [7], Consentius [8], Priscianusque [9] latinis transcripta litteris : *aptota* scilicet, *monoptota, diptota, triptota, tetraptota, pentaptota,* quibus *hexaptota* adjecerunt. Quorum verborum quis sit sensus apparet; de aptotis tantum et monoptotis dubitari potest. Græci præterea, quæ non declinantur vocabula, ἄκλιτα etiam appellaverunt; sed quid proprie significarint tria illa nomina, ἄκλιτα, ἄπτωτα, μονόπτωτα, perspici non potest, cum Græci grammatici in eo ipsi non conveniant [10]. « Ἄκλιτα » quidem in latinum « *indeclinabilia* [11] » (in = ἀ, declinabile = κλιτόν) conversum est, eoque nomine designantur vel vocabula quæ propter naturam vimque suam declinari non possunt, ut præpositiones, adverbia, conjunctionesque [12], vel nomina pronominave, quæ « non variant terminationem, sed immobilem eam servant [13]. » Horum autem duæ sunt species, altera eorum quæ unum solum habent casum, ut Juppiter, sponte, etc., altera eorum quæ per omnes

1. Cf. Donat., K. IV, p. 377; Charis., K. I, p. 150; Diomed., *ibid.*, p. 308; Priscian., K. II, p. 187.
2. De « ovis » *communem casum* usurpat, scilicet quia eadem forma pluribus casibus communis est (VIII, 46).
3. I, 16.
4. *L. c.*, II, p. 193.
5. *L. c.*, III, p. 122.
6. K. IV, p. 377.
7. K. IV, p. 433.
8. K. V, p. 352 sq.
9. K. II, p. 184-188.
10. Cf. Steinthal, *l. c.*, II, p. 223 sqq.
11. Cf. supra, p. 71.
12. Priscian., K. II, p. 452.
13. *Ibid.*, p. 184.

casus una terminatione declinantur, ut nequam. His quidem duabus speciebus referri debent aptota monoptotaque nomina; sed utrum utri sit proprium, non consentiunt grammatici. Priora enim aptota a Prisciano, monoptota a Romano, Cominiano [1], Probo (?) [2] et Diomede [3], etc., vocantur; rursusque quæ Probus et Diomedes aptota, appellat Priscianus monoptota.

Pro illis græcis vocabulis latina quoque a quibusdam, sed non ab omnibus eadem, usurpata sunt. Nonnunquam inveniuntur verba in *-aria* desinentia, quorum prior pars a numeralibus « unus, bini, terni, quaterni, quini, seni » deducta est : unde facta sunt *unaria* (forma), *binaria, ternaria, quaternaria, quinaria, senaria,* id est forma nominum, quæ unum, binos, ternos, etc., casus habent [4]. Horum duo prima tantum a grammaticis ceterorum exemplo [5] ficta esse videntur. Neque pro « senaria » ullum aliud repperi; sed pro « unaria » *simplicem* vel *unitam* dixerunt Charisius [6], Diomedes [7] auctorque « de nomine excerptorum » quæ Probo adjudicata sunt [8]; in « institutis artium » deprehenditur etiam *monaria,* ex vocabulo græco (μόνος) cum latina terminatione [9]; pro « binaria » *bipertitam* excerptor de nomine [10], Charisius, Diomedes [11] Pompeiusque [12], pro « ternaria » *tripertitam* excerptor idem Pompeiusque [13], pro « quaternaria » *quadripertitam* excerptor, pro « quinaria » *quinquepertitam* Pompeius usurpaverunt : quæ nomina ex « partiendo » et numerali nomine formata, non apud grammaticos unos usitata sunt. Qui

1. Char., K. I, p. 118, 117.
2. *Inst. art.*, K. IV, p. 119.
3. K. I, p. 309.
4. Cf. Sacerd., K. VI, p. 483, et Prob. *Cathol.*, K. IV, p. 32 sq.; Charis., K. I, p. 150; Diomed., K. I, p. 308 sq., etc.
5. Unaria, binaria : ternaria, quaternaria, etc. = unus, bini : terni, quaterni, etc.
6. *L. c.*
7. *L. c.*
8. K. IV, p. 214; cf. supra, p. 35 sq.
9. K. IV, p. 121.
10. K. IV, p. 214.
11. *L. c.*
12. K. V, p. 172.
13. *L. c.*

tamen latinis utuntur vocabulis, græca plerique simul commemorant, Diomedes unus non eodem sensu utraque[1].

De nomine.

Præcipuæ partes orationis duæ sunt, nomen et verbum, quæ re vera aliquid indicent vocabuloque designent; in his quidem omnis dicendi vis et nervus continetur; at reliquæ, ut in navi clavi et bitumen, non tam partes quam juncturæ sermonis dici possint[2]. His igitur, ut clarius intellegatur quibus gradibus processerit apud veteres grammatica, incipere institui. Primæ enim ex alio linguæ apparatu distincte separatæ, singillatim perspectæ ac nominatæ sunt. Cujus distinctionis Platonem inventorem fuisse sæpius demonstratum est[3].

Apud Homerum jam ὀνόματα dicuntur vocabula, quibus homines, dii regionesve insigniuntur (gall. *les noms propres*). Quibus autem res indicantur (lat. *appellativa*, gall. *les noms communs*), ea non aliter nuncupata sunt a Platone, nec fortasse a Pythagora[4]. Quod minime mirandum est neque a ratione aversum, cum eodem modo formentur declinenturque utriusque generis vocabula, atque eandem quasi personam in oratione gerant. Licet ea separari et utraque peculiari appellatione vocari quidam, ut infra videbimus, voluerint, prævaluit tamen usus antiquus, ut et Dionysius Thrax et Apollonius Dyscolus cum *propria*, tum *appellativa* nomina pariter ὀνόματα dicerent. Nec secus apud Latinos se res habuerunt. Postquam enim aliquandiu in ea quæstione hæsitaverunt ac disputaverunt grammatici, omnes tandem in eo convenerunt, ut, quæ Dionysius Apolloniusque ὀνόματα, *propria* scilicet et *appellativa*, ea ipsi *nomina* pariter nuncu-

1. *L. c.* Ex. gr., « opis » triptoton est, quia tres tantum casus habet.
2. Cf. Plutarq., *Quæst. Platon.*, IX, et Classen, *l. c.*, p. 46.
3. Cf. Classen, *l. c.*, p. 47 et præsertim Gräfenhan, *l. c.*, I, p. 113 sq.
4. Lersch., *l. c.*, I, p. 25 sqq.; II, p. 3 sq., 8 sqq.

parent[1]. « Nomen » enim sensu proprio solitoque idem valet quod ὄνομα. Et si primam originem et etymologiam repetemus, id apte usitatum apud grammaticos nobis videbitur, cum ex radice *nō-*, *gnō-*, exitu *-men* suffixo, componatur, idque exprimat per quod aliquid cognosci possit et designetur. Pro « nomine » autem, quod sensu strictiore usurpat[2], Varro *nominatu* utitur[3], quod vocabulum a nominando derivatum, « nominandi rationem » significat, et, quantum ex veterum monumentis comperimus, nullo Græcorum exemplo[4] creatum est.

Nunc cum, quo sensu « nomen » adhibitum sit apud grammaticos, ostenderim, quærendum est quot et quæ sint nominum species : in quibus indagandis et examinandis si veterum vestigia non sequar, mihi profecto dabitur venia, cúm ipsi inter se dissentientes temere atque incomposito ordine eas enumerent.

Quod ad originem pertinet, duo sunt præcipua genera, quæ jam a Varrone distincta sunt[5]. 1° Altera enim, quæ a nullis deducta et a se nata esse[6] videantur, priora ficta jure dicas : inde a Græcis πρωτότυπα[7], prima (πρῶτα) scilicet et aliorum exemplaria (τύπος), vocabantur, aut κατὰ τὴν πρώτην θέσιν[8], id est quæ prima (πρώτην) rebus imposita (θέσιν) sunt. Quarum græcarum dictionum secunda tantum a Latinis ad verbum reddita est[9], cum *prima positione* ea nomina dicunt,

1. Cf. præsertim Donat., K. IV, p. 373; Priscian., K. II, p. 56.
2. Cf. infra, p. 81.
3. VIII, 45; 52; 63, etc.
4. Cf. tamen ὀνομασίαν, ὀνόμασιν. « Nomen » autem ap. Nigid. Figul. (Gell., XIII, 26) et Plin. (Char., K. I, p. 124) eodem fortasse sensu, quo ap. Varr., deprehenditur. Sed generali sensu et ap. Varr. (VIII, 5, etc.), Quintil. (I, 4, 18), Jul. Modestum., Hygini libertum, primi p. Chr. sæculi grammaticum (Char., K. I, p. 73, 125), Asprum (*Ibid.*, p. 196, 205), Vel. Long. (K. VII, p. 49), Scaur. (*Ibid.*, p. 12), Jul. Roman. (Char., K. I, p. 52, etc.), ceterosque artigraphos.
5. VI, 36 sq. et præsertim VIII, 5 : « Duo igitur omnino verborum principia, alterum ut fons, alterum ut rivus. Impositicia nomina..., declinata... »
6. Nulla propria appellatione ea designat Charisius (K. I, p. 154), sed « quæ sicut nata sunt efferuntur » vocat.
7. Dionys. Thr., p. 25 et passim.
8. Id., p. 25.
9. Cf. Diomed. (K. I, p. 323) : « Principalia, quæ Græci prototypa dicunt. »

quæ non ab aliis derivata sunt[1]. Atque Varro, cum eadem *imposita*[2] vel *impositicia*[3] nuncupat, hujus appellationis sensum haud inepte exprimit. Pro impositicio autem *impositivum* dixit Plinius[4], *positivum*que semel Priscianus[5] : quæ vocabula quomodo a *ponendo* vel *positione* (θέσις) orta sint perspicuum est[6]. Sed « πρωτότυπος » vocabulum, sæpius a grammaticis græcis usurpatum, pluribus latinis vocabulis traductum repperi. *Primigenia* enim (id est prima nata) Varro[7], *principalia*[8] autem Gellius[9], Romanus[10], Diomedes[11], aliique artigraphi inter quos Priscianus[12], dixerunt. *Primitivum* denique, quod vocabulum apud nos obtinuit, a nullo nisi Prisciano[13] eo sensu usurpatum deprehendi. Utrum autem omnia primitiva an nonnulla tantum (ex quibus scilicet possessiva nascuntur) Plinius[14] appellaverit *facientia*[15], parum comperi.

2° Alterius autem generis sunt, quæ e prioribus quasi extracta, a Græcis παράγωγα, id est deducta (παρά, ἄγω = de, duco), sunt nominata[16]. Apud Latinos tamen raro *paragogon* servatum[17], aut ad verbum per *deductum* vel *deductivum*[18] translatum est. Plerique enim metaphora usi, quam apud Varro-

1. Donat., (K. IV, p. 373), Excerpt. Bob. (K. I, p. 535), Serv. (K. IV, p. 429), Explanat. in Donat. II (*Ibid.*, p. 536), Dosith. (K. VII, p. 395) aliique grammatici et postremo Priscian., K. II, p. 59. Cf. quoque supra, p. 57, n. 3.
2. VIII, 9 ; de impositione, cf. X, 51 ; 60.
3. VIII, 5.
4. *Hist. Natur.*, XXVIII, 33.
5. K. III, p. 25 ; cf. infra, p. 90.
6. Cf. supra, p. 57, n. 3.
7. VI, 37 ; cf. Cledon., de pronomine (K. V, p. 52 ; Ed. Bertsch, p. 38).
8. Cf. apud Varr. (VI, 37, etc.) *principia*.
9. XI, 15.
10. Char. K. I, p. 118.
11. K. I, p. 323.
12. K. II, p. 57.
13. K. II, p. 562. Priscianus ergo et « prima positione » et « principalia » et « primitiva » nomina dicit. Sed « principalia » potissimum usurpasse videtur, « prima positione » autem sæpius superiores artigraphi.
14. Char., K. I, p. 118.
15. Id est, a quibus alia fiunt.
16. Dionys. Thr., p. 25, etc.
17. Char., K. I, p. 228 ; Diomed., *ibid.*, p. 323, aliique artigraphi.
18. Pomp., K. V, p. 202, de pronomine. Cum autem Pompeius « derivativum » usurpare soleat, dubitari potest an Varronis hic vocabulo utatur. Sic enim eloquitur : « Ego dixi quia non sunt primigenia, quæ dicit Varro, sed deductiva. »

nem[1] legere etiam nunc possis, quasi primitiva vocabula fonti compararent, a quo paragoga, ut rivi, orirentur et profluerent, *derivata* ea aut *derivativa*[2] appellaverunt. Ut autem *facientia* aut omnia aut nonnulla primitiva nuncupata esse supra vidimus, sic *facticia*[3] (omniane an possessiva tantum, incertum est) derivativa Charisius vocavit, « quod non ex se, sed ex aliis nascuntur[4] ». Varro postremo eam metaphoram persequens quam supra[5] jam rettuli, quaque duo genera verborum distinguit, alterum fecundorum, alterum sterilium, derivata quoque *propagines* nominat[6]. Ea vero « declinata » aut « inclinata » Varronem, Gellium aliosque dixisse, hisque appellationibus non solum derivativa, sed diversas formas a prima positione, id est vel a nominativo singulari vel a prima persona singulari indicativi præsentis quasi orientes, comprehendisse[7], hic commemorare oportet. Latini ergo non statim derivationem a declinatione et conjugatione separaverunt. Ut autem intellexerunt quomodo inter se differrent, tunc vocabulum « derivativum » omnes grammatici usurpasse videntur.

Plures species *derivatorum* Dionysius Thrax ejusque exemplo Latini grammatici enumerant[8]. Sed una eademque serie confuse permiscent, quæ inter se sensu tantum et quæ forma atque origine differunt. Ego vero primum has species inspiciam, quæ idcirco a veteribus separatæ sunt, quod a diversis voca-

1. VIII, 5 ; cf. p. 75, n. 5.
2. Sic fere omnes artigraphi : jam *derivare* invenitur ap. Quintil. (VIII, 3, 31 sqq.), *derivatio* ap. Vel. Long. (K. VII, p. 60) ; *derivativum* autem ap. Plin. (Pomp., K. V, p. 144), Donat. (K. IV, p. 373), Charis. (K. I, p. 154), Diomed. (*Ibid.*, p. 323), Excerpt. Bob. (*Ibid.*, p. 535), Dosith. (K. VII, p. 395), Priscian. (K. II, p. 57, etc.), etc.
3. Vide infra, p. 84, hoc vocabulum alio sensu usitatum.
4. Fortasse Plinii hoc vocabulum est ; cf. supra *facientia* ; sed Charis. (K. I, p. 59) Plinium non nominat.
5. P. 71.
6. VIII, 10. Hic quoque Græcos eum non imitatum esse arbitror. Cf. supra, p. 14, n. 1.
7. Cf. supra, p. 69 sq. ; cf. p. 57, n. 3.
8. Εἴδη δὲ παραγώγων ἐστὶν ἑπτά · πατρωνυμικόν, κτητικόν, συγκριτικόν, ὑπερθετικόν, ὑποκοριστικόν, παρώνυμον, ῥηματικόν (cf. p. 125). Priscian., K. II, p. 59 sq. : « Propriæ derivatorum (species) sunt hæ : *patronymicum, possessivum, comparativum, superlativum, deminutivum, denominativum*, in quo intellegimus cum multis *comprehensivum*....., *verbale, participiale, adverbiale.* » Cf. Diomed., K. I, p. 323, etc.

bulorum generibus derivantur. Duas tantum apud Dionysium Thracem invenimus, quæ scilicet a « nominibus » (παρώνυμα[1], παρά + ὄνομα, id est « ex nomine »), et quæ a « verbis » (ῥηματικά) deducuntur. « *Paronyma* » quidem apud Diomedem deprehendimus[2], sed Priscianus *denominativum* dicit[3], quod vocabulum a græco in latinum ad verbum traductum est. Ad ῥηματικόν autem interpretandum, Charisius[4], Diomedes[5], Dositheus[6] Priscianusque[7] *verbale* usurpaverunt, a *verbo* ortum ut ῥηματικόν a v. ῥῆμα, alii vero[8] *facta de verbo*. His vero speciebus adduntur a quibusdam *adverbialia*, quæ ab *adverbiis*, et *participialia*, quæ a *participiis* derivata sunt[9].

Tum vero si nominum figuram considerabimus, alia discernemus genera. Aristoteles jam ἁπλᾶ altera, altera συμπεπλεγμένα ὀνόματα appellaverat[10]. Sed tria genera Dionysius Thrax distinguit : « Σχήματα δὲ ὀνομάτων ἐστὶ τρία · ἁπλοῦν, σύνθετον, παρασύνθετον[11]. » Latini autem grammatici, Aristotelis vestigia prementes, duas esse nominum *figuras* plerique[12] tradunt, alteram *simplicium*, quo vocabulo in latinum traducitur græcum ἁπλοῦν, alteram *compositorum*[13], quo sensus συνθέτου et forma expresse repræsentantur. His Priscianus[14], Dionysium secutus, *decomposita* adnumerat, id est ex *compo-*

1. Jam ap. Aristot.; cf. Lersch, *l. c.*, p. 20.
2. K. I, p. 324.
3. K. II, p. 116.
4. K. I, p. 155.
5. K. I, p. 321.
6. K. VII, p. 396.
7. K. II, p. 410. etc.
8. Cf. Donat., K. IV, p. 373.
9. « Adverbialis » (de præpositionibus, quæ et adverbia sunt, K. I, p. 203) et « participiale » (de nominibus, quæ et participia sunt, ut amans, etc., K. I, p. 291) Charis. usurpavit. Sed horum generum, quæ in textu commemoravi, nomina ante Priscian. « ab adverbiis » et « a participiis descendentia » vel « figurata » vocantur (Char., Diom., Excerpt. Bob., K. I, p. 155, 322, 535). Priscianus, ut solet, pro circumlocutione unum vocabulum adhibuit (K. II, p. 60, etc.). Cf. supra, p. 40 sq.
10. *Poet.*, 21.
11. P. 29.
12. Donat., K. IV, p. 377; Charis., K. I, p. 153; Diomed., *id.* p. 301; Excerpt. Bob., *id.*, p. 534; *Inst. Art.*, K. IV, p. 53, etc.
13. Jam apud Varr. (VIII, 61) utrumque genus (simplex et compositicium). Palæmon (Quintilian., I, 5, 45) simplicia et composita.
14. K. II, p. 177, etc.

sitis derivata, quod vocabulum παρασύνθετον reddit, ut *de-ductivum* παρ-άγωγον, *de-nominativum* παρ-ώνυμον, etc. Pro « compositis » autem *compositicia* Varro[1], *copulata* Cicero[2] Gelliusque[3] dixerunt; pro « decompositis » Diomedes[4], sed alio sensu (quæ scilicet de compluribus componuntur, ut inexpugnabilis, etc.), *parasyntheta*, e græco transcriptum, usurpat. Quibus autem modis composita sint nomina, quamvis id pervestigaverit Dionysius Thrax ejusque exemplo plerique grammatici Latini, cum, ad diversas compositionis species designandas, nullum usitatum sit vocabulum, commemorare supersedeo[5].

Ut omnia quæcumque ad formam nominum attineant nunc perlustremus, sunt præterea quædam observanda. Jam apud Aristotelem inter nomina diducuntur ὁμώνυμα et συνώνυμα[6], altera quæ, figura et voce similia, sensu differunt, altera rursus quæ, quamvis inter se differant, idem tamen significant. Hæc vero a Peripateticis[7] πολυώνυμα appellata sunt, συνώνυμα autem vocata, quæ res diversas ejusdem generis designant, et communi hujus generis nomine nuncupari possunt : qui alioqui vocabuli usus et apud Aristotelem ipsum deprehenditur[8]. Postremo vel συνώνυμα vel πολυώνυμα juxta dicta sunt nomina diversa ejusdem potestatis; apud Latinos saltem ambo hæc vocabula eodem sensu adhibentur[9]. Invenimus autem latinis litteris transcripta *homonyma*, *synonyma*, et *polyonyma* apud Charisium, Diomedem, Donatum, Con-

1. VI, 55; VIII, 61.
2. *Orat.*, 32, 115; copula, Nig. Fig. (Gell. X, 5).
3. II, 19; VI, 10; VII, 12; XVI, 5.
4. K. I, p. 301.
5. Quæ vocabula enumeravi, pleraque non de nominibus solum, sed de aliis quoque orationis partibus, de verbis præsertim, pronominibus et adverbiis, ut infra videbimus, dici possunt.
6. *Categ.*, 1; *Rhet.*, III, 2.
7. Cf. Bekk., *Anecd.*, p. 863.
8. *Categ.*, 1 : « Συνώνυμα λέγεται ὧν τό τε ὄνομα κοινὸν καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός, οἷον ζῷον ὅ τε ἄνθρωπος καὶ ὁ βοῦς, etc. »
9. Ap. Varron. litteris græcis ὁμωνυμία (IX, 89) συνωνυμία (IX, 90). Plin. autem (ap. Char., K. I, p. 137) « homonymum nominativi accusativo », id est similitudo nominativi et accusativi.

sentium, Priscianum[1], etc. Sed quidam « homonymum » in *univocum* [2] aut *æquivocum* [3] aut *uninominum* [4], polyonymon autem in *multivocum*[5] aut *plurivocum*[6] verbum pro verbo traduxerunt[7].

Si postremo declinationem ipsam spectamus, sunt quædam *tota græcæ declinationis*, quædam *tota conversa in latinam regulam*[8], quædam *notha* (νόθος), media scilicet inter græcam latinamque formam[9]: quas species Latinos a Græcis non mutuatos esse manifestum est. *Heteroclita* autem (ἑτερόκλιτα), quorum obliqui casus a nominativo et recto casu non formantur regulariter sed alia et diversa (ἕτερον) ratione declinantur (- κλιτος)[10], et *anomala* (ἀνώμαλα), quæ non ad communem regulam ex aliis derivantur nec legitimarum declinationum consuetudinem sequuntur[11], græcis nominibus appellari solent. Priora ceterum a Prisciano[12] *diversiclinia* (*diversi-* = ἑτερο -, *-clinia* = -κλιτα), altera ab eodem[13] et Donato[14] *inæqualia* (*in* = ἀν -, *æqualia* = ὁμαλά) quoque nuncupantur[15].

Quæ sequuntur genera, ex nominum sensu nominatarumque rerum natura constituta sunt. In his quoque percensendis veterum vestigiis insistere, cum nullum justum ordinem secuti sint, non opus est.

Chrysippus Stoicus[16] primus *propria* nomina et *appellativa* separavisse videtur, eaque adeo inter se differre judicavit, ut duas inde diversas orationis partes faceret. Ὀνόματα autem

1. K. I, p. 156, 322 sq.; K. IV, p. 373; K. V, p. 341; K. III, p. 88, etc.
2. Priscian., *Part. XII vers. Æneid.*, I, 11, K. III, p. 462.
3. Steph., *Thes. græc.*, s. v. συνώνυμος.
4. *Ars anonym.*, *Anecd. Helv.*, p. 71.
5. Boet., *In Arist. prædic.*, 1, p. 115.
6. Mart. Capel., 4, p. 339, 357.
7. Cf. infra *dionyma, trionyma, tetraonyma.*
8. Donat., K. IV, p. 373.
9. Jam apud Varronem, X, 70; cf. Donat., *l. c.*
10. Cf. Apoll. Dysc., *De pronom.*, p. 13. Distinguit ἑτερόπτωτα, quæ nomina, et ἑτερόκλιτα, quæ verba sunt.
11. Quod vocabulum de aliis quoque partibus orationis dici potest.
12. K. III, p. 145.
13. K. II, p. 417.
14. K. IV, p. 383.
15. Cf. apud Gell., II, 25, *inæqualitatem* = ἀνωμαλίαν.
16. Diog. Laert., VII, 57.

vocavit, quæ deos aut homines designant, atque huic consuetudini post eum obsecuti sunt Stoici. Eodem quoque sensu *nomen* usurpaverunt Varro[1] et Terentius Scaurus[2]. Sed Aristarchus in una eademque orationis parte hæc duo genera reposuit[3], ac Dionysius Thrax, ejus discipulus, Palæmonque eum secuti sunt.

Dionysius autem κύρια appellavit[4], « quæ propriam et circumscriptam qualitatem specialiter significant », quæ sunt deorum, hominum, urbium, provinciarum, insularum, montium et fluminum[5]. Hoc vocabulum, quo dicitur ea esse per excellentiam, ut aiunt grammatici, nomina, et quoddam quasi vestigium Stoicorum doctrinæ impressum servatur, apud Græcos postea obtinuit[6]. Quod si ad verbum interpretari Latini voluissent, in « verum » aut « germanum » traduxissent. Sed rem ipsam potius quam græcam appellationem jure respicientes, ea, quia propria unius esse solent, *propria* nuncupaverunt[7]. Distinguunt autem quattuor propriorum nominum species, *prænomen*[8] scilicet, *nomen, cognomen, agnomen*[9]. Sed de his vocabulis, quæ, excepto fortasse *agnomine*[10], non pecularia sunt grammaticæ, plura dicere non meum est. Cum vero apud Græcos διώνυμα vocarentur bina nomina, quæ eundem demonstrarent, Latini quoque *dionyma* dixerunt nomina cum prænominibus conjuncta[11]. Si adjunguntur autem

1. VIII, 45; 80, etc.
2. Apud Diomed., K. I, p. 320. Sed uterque nomen quoque generali sensu usurpat (cf. supra, p. 75, n. 4).
3. Quintil., I, 4, 20.
4. P. 33.
5. Diomed., K. I, p. 320; cf. Priscian., *Partit. XII Æneid.*, etc., K. III, p. 476.
6. Cf. Apoll. Dysc., *De constr.*, II, 7.
7. Cf. Romanum, Cominianum (K. I, p. 118, 266) ceterosque artigraphos. Id tamen notandum est « κύριος » et « proprius » pariter apud grammaticos ad eas designandas dictiones usitata esse, quæ non metaphorico, sed suo vero ac proprio sensu usurpentur.
8. Cf. Varron. (IX, 60), Verrium (Fest., p. 257), etc.: alio sensu, ap. Varr. (IX, 51).
9. Diomed., K. I, p. 321; Priscian., K. II, p. 257, etc.
10. Quod num ex v. ἐπωνύμου (ἐπί = ad, ὄνομα = *nomen*; cf. *ad-jectivum* = ἐπί-θετον, etc.) traductum sit, incertum est.
11. Cf. tamen Serv., K. IV, p. 429 : « Quotiens duo (nomina inveniuntur), plerumque prænomen et cognomen, si libertus est; nam non potest libertus habere nomen quod familiam significat, cum ipse sine familia sit. »

cognomina, fiunt *trionyma* (τριώνυμα) ; si præterea agnomina, *tetraonyma*. Sed hæc duo vocabula non ante Priscianum apud Latinos inveni[1], nec apud Græcos grammaticos usitata fuisse credo. Jam sequentes nonnullæ species propriis nominibus subjiciendæ sunt, quas antiqui ab iis separatim constituere et inspicere solebant. *Patronymica* (πατρωνυμικά)[2] primo loco ponenda sunt, quæ, græco appellata vocabulo, a patrum nominibus derivata filiorum nepotumque nomina proprie designant. Abusive tamen eadem appellatione interdum insigniuntur et a matribus et a regibus vel conditoribus et a fratribus formata[3]. At Sergius (?) pro *patronymico* nunc *patrium*[4], nunc græci vocabuli figuram ad latinam consuetudinem convertendo *patronomicum* dicit[5] ; hujusque ad exemplar idem finxisse videtur et *avonomicum* et *matronomicum*[6]. Tum quæ gentem significant, *gentilia*[7] (ἐθνικόν[8]) aut *gentis*[9] aut *gentem significantia*[10], quæ autem patriam, *patria*[11] aut *patriæ*[12] vocantur. In his quoque Priscianus a superioribus artigraphis differt, quod pro circumlocutionibus vocabula simplicia usurpat. Addendum est eum *patronymica* inter derivata, *gentilia patriaque* inter appellativa adscripsisse.

Alia quæcumque in propriis nominibus reponi non possunt, a Stoicis nuncupata sunt προσηγόριαι. Vocabulum autem « προσηγορία » a « προσαγορεύειν » derivatum est, id est « vocare » aut « appellare ». Itaque Latini hoc reddiderunt aut per *voca-*

1. Priscian., K. II, p. 61.
2. Dionys. Thr., p. 25, etc. Patronymice (adv.) Roman. (ap. Char., K. I, p. 124). Patronymica Donat. (K IV, p. 373), Diomed., Charis. (K. I, p. 155, 323), Dosith. (K. VII, p. 395), Priscian. (K. II, p. 62, 68, etc.).
3. Priscian., K. II, p. 62 sq.
4. *Explan. in Donat.*, II, K. IV, p. 539. Jam ap. Quintil. (= Palæmon.), sed incerto sensu (I, 5, 45).
5. *Ibid.*
6. *Id.*, p. 537.
7. Prisc., K. II, p. 61, etc. Cf. *gentilicia* (Varr., IX, 60, et Diomed., K. I, p. 320), sed alio sensu.
8. Dion. Thr., p. 33, etc.
9. Donat., K. IV, p. 374. Consent., K. V, p. 340.
10. Charis., Diomed., Excerp. Bob. (K. I, p. 151, 322, 535), etc.
11. Prisc., *l. c.*
12. Donat., Consent., *l. c.*

bulum[1] (a vocando), aut per *appellationem*[2] (ab appellando), Quintilianusque « *vocabulum* an *appellatio* dicenda sit προσηγορία, parvi referre » censet. At diduxere alii etiam *vocabulum* ab *appellatione*, « ut esset *vocabulum* corpus visu tactuque manifestum (domus, lectus), *appellatio*, cui vel alterum deesset vel utrumque[3] » (ventus, cælum, deus, virtus), aut « *appellatio*... communis similium rerum enuntiatio specie nominis, ut homo, vir, femina, mancipium, leo, taurus..., *vocabulum*, quo res inanimales vocis significatione specie nominis enuntiamus, ut arbor, lapis, herba, toga et his similia[4]. » Cum autem προσηγορίαν ὀνόματι subjecisset Aristarchus[5] et illud nominum genus Dionysius Thrax προσηγορικόν ὄνομα[6] nuncupavisset, Latini, quamvis hoc nomen parum feliciter esset impositum, serviliter inde *appellativum* deduxerunt[7]. Cur enim προσηγόριαι et προσηγορικά aut « appellativa », id est quibus appelletur, potius hæc quam « propria » nomina dicantur, nulla certe est causa. Immo cum eo definirentur, quod res communes designarent[8], quanto felicius aptiusque *communia* vocata essent (gall. *noms communs*).

Appellativis nominibus multæ præterea species a veteribus grammaticis adscribebantur, quarum alias jam enumeravi, alias adjectivis aut numeralibus subjiciam, nonnullas vero hic cursim recensebo. Quamquam in iis distinguendis veteres inutilia potius negotia et quasi partiendi definiendique spinas sibi ipsi fecerunt, quam ingeniosos vereque doctos se

1. Varr., VIII, 45 ; 52, etc. ; sed *appellandi vocabula* (VIII, 44 ; 45, etc.) de omnibus nominibus.
2. Quintil., I, 4, 20, id est Palæmon.
3. Quintil., *l. c.*, de *quibusdam* non nomine citatis.
4. Scaurus, ap. Diomed., K. I, p. 320. De hoc sensu *appellat.* cf. p. 79 Peripat. συνώνυμα.
5. Quintil., *l. c.*
6. Dion. Thr., p. 33, et passim.
7. « Vocabulum » pro « appellativo » et Quintil. (*l. c.*) et Plin. (Char., K. I, p. 124) et Scaur. (K. VII, p. 39) dixerunt ; « appellativum » autem primi Romanus (Ap. Char., K. I, p. 118), Cominianus (*ibid.*, p. 147, 266), fortasse Caper (Rom. ap. Char., K. I, p. 132) usurpaverunt.
8. Cf. Varr., VIII, 80 : « cum vocabula sint infinita ac res *communis* designent. » Dion. Thr., *l. c.* : « Προσηγορικὸν δέ ἐστι τὸ τὴν κοινὴν οὐσίαν σημαῖνον. » *Inst. Artium*, K. IV, p. 119 : « Quæ rem *communiter* significant », etc. Quanto aptius Varro *appellandi vocabula* (VIII, 45) nuncupat et appellativa et propria nomina et ipsa pronomina !

præbuerunt. Nuncupantur enim appellativa quædam *generalia* (γενικά[1]), quæ genus, id est quod in multas species dividi potest (animal, arbor), significant[2]; quædam rursus *specialia* (εἰδικά, ἰδικά[3]), quæ speciem, id est quod a genere dividitur (homo, equus, vitis), demonstrant[4]. Sunt et quæ singulari numero multitudinem exprimant, ut populus, exercitus, legio: hæc a Dionysio περιληπτικά[5] (cf. περιλαμβάνειν, comprehendere), ab Apollonio autem ἀθροιστικά[6] (cf. ἀθροίζειν, colligere) nominantur : quas appellationes Priscianus nunc per *comprehensiva*[7], nunc per *collectiva*[8] (hoc nomen apud nos obtinuit) ad verbum interpretatur. *Comprehensiva* autem alio sensu vel *continentia* apud Priscianum dicuntur[9], quæ Dionysius περιεκτικά[10] (περιέχειν, continere), et Apollonius[11] ἐμπεριεκτικά appellat, quæque figuram acceperunt ex his quæ continentur, ut lauretum, esculetum, etc. Sunt et *facticia* (πεποιημένα[12]), quæ per imitationem a sono rerum vel vocibus ficta sunt, ut tintinnabulum[13]. Sunt et *absoluta* (ἀπολελυμένα[14]), quibus significatur « quod per se intellegitur et non eget alterius coniunctione nominis, ut deus, ratio[15] ». Sunt *ad aliquid dicta*[16] (πρός τι ἔχοντα[17]) aut brevius *ad aliquid*[18], quæ sine alterius intellectu proferri non possunt, ut filius, pater, mater[19].

1. Dion. Thr., p. 43, etc.
2. Donat., K. IV, p. 374; Charis., K. I, p. 155; Prisc., K. II, p. 61, plerique artigraphi.
3. Dion. Thr., p. 43, etc.
4. Donat., Charis., Prisc., etc., *l. c.*
5. Dion. Thr., p. 40.
6. *De construct.*, I, 13.
7. K. II, p. 176. Haud semel sic inter plura nomina hæsitat Priscianus de rebus, quas superiores artigraphi nullo proprio nomine designasse videntur.
8. K. II, p. 61. Apud alios artigraphos per circumlocutionem designantur (cf. Diomed., K. I, p. 322).
9. K. II, p. 124.
10. P. 42. *Periectica* ap. Diomed., K. I, p. 322.
11. *De constr.*, III, 13.
12. Dionys. Thr., *l. c.*
13. Prisc., K. II, p. 61; *ficta a sono vel vocibus* (Charis., Diomed., K. I, p. 155, 322, etc.); *quæ facta significant* absurde dicuntur (*Explan. in Donat.*, II, K. IV, p. 536).
14. Dion. Thr., p. 44.
15. Prisc., K. II, p. 62. Apud nullum alium hanc speciem repperi.
16. Donat., K. IV, p. 374; Prisc., K. II, p. 60, etc.
17. Dion. Thr., p. 35; τῶν πρός τι, Char., K. I, p. 156, quod « ad aliquid » expresse traducit.
18. *Inst. Art.*, K. IV, p. 120; Charis., K. I, p. 156; etc.
19. Nam dicendo *filium* etiam *patrem* intellego, etc.

Sunt et *quasi ad aliquid dicta*[1], vel *ad aliquid quodam modo se habentia*[2] vel *ad aliquid qualiter se habentia*[3] (ὡς πρός τι ἔχοντα[4]), quæ quid significent non consentiunt inter se grammatici, sed, ut ex Dionysii Thracis (νύξ, ἡμέρα, θάνατος, ζωή) et Prisciani (dies, nox, dextra, sinistra) exemplis colligi potest, res demonstrant, quæ cum alteris vinculo quodam, sed non tam stricto nec necessario conectuntur : « nam quamvis intereat, non interimit secum etiam illud, quod ei adhærere intellegitur[5]. » Sunt *possessiva*[6], quæ apud Græcos[7] κτητικά dicuntur (cf. possessivum casum), et aliquid possideri ostendunt, ut Evandrius, sacrarium, donarium[8]. Sunt *deminutiva*[9] vel *deminuta*[10], quæ deminutionem alterius demonstrant, ut regulus. Hæc cum Græci bello et metaphorico appellarent vocabulo ὑποκοριστικά[11] (id est *blandiloquia*), Latini nomine ex re orto insignire maluerunt. Omnes illas appellativorum species a Græcis Latinos mutuatos esse liquet, nec quomodo vocabula quibus nuncupantur formata sint, explicare opus est. Utrum vero ipsi grammatici ea formaverint primique usurpaverint, an ex communi linguæ thesauro sibi assumpserint, in conclusione tantum, brevitatis causa, indicabo. Adjicienda præterea sunt nonnulla appellativorum genera[12], quæ num a Græcis jam constituta essent, parum comperi : *corporalia* dico, « quæ rem corporalem significant, utputa terra,

1. Prisc., *l. c.*
2. *Inst. Art.*, Char., *l. c.*
3. Donat. ejusque comment., K. IV, p. 374, 430; V, p. 148.
4. Dion. Thr., *l. c.* Τῶν πρός τί πως ἔχοντα (Char., K. I, p. 156), quod Char., Donat., etc., expresse traduxerunt.
5. Prisc., *l. c.*
6. Quintil., I, 5, 46 (Palæm.); Roman. ap. Char., K. I, p. 118; Diom., *ibid.*, p. 323, etc.; Prisc., *l. c.*
7. Dion. Thr., p. 26, etc.
8. Donat. (K. IV, p. 374) *ctetica* transcribit; cur hæc Plinius (ap. Charis., K. I, p. 118) *patiendi nomina*, et Consentius (K. V, p. 341) *abusiva* (vel ctetica) nominaverit, parum comperi.
9. Plin. ap. Pomp., K. V, p. 164; Diomed., K. I, p. 325; Prisc., K. II, p. 101, ceterique artigraphi. Apud Varr. (VIII, 52) *minuendi genus; deminutio*, ap. Verrium (Fest., p. 356), Scaur. (K. VII, p. 13).
10. Quint., I, 5, 46; Gell. VII, 12. *Deminuto* Quint. *integrum* opponit.
11. *Hypocorismata*, ap. Char., K. I, p. 37.
12. Neque tamen omnia genera percenseo; quædam prætermitto minoris momenti, ab uno vel altero IV sæculi artigrapho prolata.

navis, mare » ; *incorporalia,* « quæ rem incorporalem significant, utputa pietas, justitia, dolor[1] » ; *temporalia,* « quæ per se tempus ostendunt, ut mensis, annus, meridies[2] ; *localia,* quæ locum significant, ut inferi, propinquus[3].

In summa observandum est, a Varrone jam præcipuas nominum species dignotas esse, ut primitiva et derivativa, simplicia et composita, propria et appellativa, deminutiva denique quæ et figura et sensu a ceteris differunt, distingueret, nominibusque, si non omnia iisdem quibus posteriores grammatici, peculiaribus certe et haud ambiguis designaret. Ceteras vero, a Dionysio Thrace plerasque definitas, Palæmonem jam recepisse et aliis inde artigraphis tradidisse, licet nullum de ea re testimonium exstet, habeo tamen idcirco persuasum, quod de aliis quoque partibus orationis[4] in speciebus distinguendis Dionysium ipse, eum posteriores per vices grammatici secuti sunt. Pauca postremo vidimus Priscianum addidisse vocabula, aut mutasse, ut sive pro græco latinum (cf. denominativum), sive pro circumlocutione peculiare nomen, plerumque adjectivum, usurparet[5].

De numeralibus nominibus.

Quæ nomina numeros exprimunt, quamquam a veteribus in appellativis reponebantur, ea tamen, nostræ recentiorum consuetudini obsecutus, seorsum ut speciem singularem perlustrare rectius et magis rationi consentaneum judicavi. *Numerorum* autem vel *numeri nomina*[6], aut *numeralia*[7] (ἀριθμητικά[8]) numeros ipsos demonstrant, et sunt quæ nos *cardinales num.* nunc vocamus : quam appellationem apud Priscianum

1. *Instit. Art.*, K. IV, p. 119 ; Donat., *ibid.*, p. 373, etc.
2. Prisc., K. II, p. 62, 549.
3. Prisc., *ibid.*, p. 62. Scaurus vero (K. VII, p. 30) *locorum vocabula vel nomina* appellat *Baias, Capuam*, etc.
4. Cf. p. 133, 137.
5. Cf. supra, p. 41.
6. Donat., K. IV, p. 373, etc. *Numerum* vero *significantia* a Charis., Diomed., Excerpt. Bob. dicuntur (K. I, p. 154, 322, 535).
7. Prisc., K. II, p. 62, etc.
8. Dionys. Thr., p. 44.

jam deprehendimus[1]. *Ordinis* vero[2], aut *ordinalia*[3] ordinem significant, et inde nomen duxerunt, ut apud Græcos τακτικά[4] e notione τάξεως. Hæ duæ species, quæ apud Dionysium nominatæ ac definitæ inveniuntur, ejus exemplo a Palæmone sine dubio receptæ sunt et posterioribus artigraphis traditæ, sed ita ut non per « technicas » vere appellationes insignirentur : quas appellationes Priscianus creasse videtur.

Tertium autem est numeralium numerorum genus, a græca lingua alienum, eorum scilicet « quæ in multos distribui eundem significant numerum, ut *singulos* habebant oculos Cyclopes[5]. » Hoc ante Priscianum apud nullum grammaticum observatum fuisse repperi, credo, quia neque a Dionysio neque a Palæmone dignotum fuerat. Priscianum itaque ad id nuncupandum haud paulum hæsitavisse apparet, cum quattuor appellationibus usus sit. Ejus enim generis nomina nunc *dispertitiva*[6] dicit, nunc *dividua*[7], nunc *distributiva*[8], nunc *impertitiva*[9]. « Dividuus » vero vocabulum jam apud Ciceronem[10], ad res quæ dividi possunt designandas, usitatum est. « Distributivus », quod apud nos obtinuit (gall. *distributif*), et « dispertitivus » ex sensu quoque formata sunt. « Impertitivus » denique e græco ἐπιμεριζόμενος[11] ad verbum traductum est (cf. ἐπι et *in*, μερίζομαι -μεριζόμενος et *partior -pertitivus*).

De adjectivis.

Transeamus nunc ad *adjectiva,* quibus subjiciendi sunt *comparationis gradus*. Adjectiva veteres grammatici inter species

1. *De figur. numer.*, K. III, p. 412, 416.
2. Donat., *l. c.*; *ordinem significantia*, Char., Diom., etc., *l. c.*
3. Prisc., *l. c.*
4. Dionys. Thr., *l. c.*
5. Prisc., *De figur. numer.*, K. III, p. 413.
6. Prisc., *l. c.*
7. K. II, p. 61.
8. K. III, p. 13, 204.
9. K. III, p. 13.
10. *De natur. deorum*, 3, 29.
11. Dionys. Thr., p. 41. Non plane eodem sensu quo nos distributiva dicimus, cum ita ἑκάτερος, ἕκαστος designentur. Sed Priscianus quoque (K. II, p. 61) in unam eandemque speciem « uterque, alteruter, quisque, bini, centeni, etc. », collocavit.

nominum ponebant et appellativis plerique adscribebant, quamquam animadverterant, ea a ceteris nominibus differre, quæ *substantiam* significant[1] neque comparationis gradus recipiunt[2]. An vero in unam speciem adverbia et adjectiva Varro redegerit et una appellatione utraque *adminiculandi vocabula* nominaverit, ex ejus locis, quæ a Steinthal laudantur, dubitari potest[3].

Adjectivis autem non e sua natura aut sensu nomen impositum est, sed ex eo quod non per se dici, propriis verum aut appellativis conjungi adjicique solent. Inde jam ab Aristotele ἐπίθετα[4], id est « apposita » vel « adjecta », nuncupantur, quod vocabulum a Dionysio Thrace[5] usurpatum, mutatum in ἐπιθετικόν apud Apollonium Dyscolum[6] deprehenditur. Hæc vocabula sive græcis sive latinis litteris scripta apud Romanos artigraphos inveniuntur[7]. Sed traducta quoque sunt in *adjunctivum*[8] vel *adjectionem*[9] vel *adjectivum*[10]. Multi denique ante Priscianum artigraphi adjectiva præterea *mediæ potestatis vel significationis nomina* nuncupant[11] : quam dictionem alii alio modo explicant, et, qui parum intellexerim, pluribus verbis illustrare non aggrediar. Grammatici igitur IV et V sæculi eandem hanc speciem interdum pluribus vocabulis

1. Prisc., K. II, p. 58; cf. *Inst. Art.*, K. IV, p. 57, etc. Prisc. (K. II, p 83) : « (Adiectiva) sumuntur ex accidentibus *substantiæ* nominum. » P. 84 : « Itaque adiectiva iure sunt appellata, quæ illis nominibus quæ *substantiam* demonstrant, adiciuntur. » Priscianus ergo plane intellexit, quid sit proprium et adjectivi et « substantivi », et utriusque definitione nomen, quo designanda sunt « substantiva » et apud nos designantur, quodam modo præsignificavit.
2. *Inst. Art.*, Priscian., *l. c.*
3. Steinthal, *l. c.*, II, p. 219 sq. Cf. Varr., VIII, 44 : « Adminiculandi, ut docte, commode...... Quædam priora, quædam posteriora...... posteriora, ut doctus, docte; dicitur enim homo doctus, ut scribit docte.
4. *Rhetor.*, III, 2.
5. P. 31.
6. *De construct.*, I, 12, 32.
7. 'Επίθετα, Diom., K. I, p. 323; Dosith., K. VII, p. 397; ἐπιθετικά. Char., K. I, p. 155; Excerpt. Bob., *ibid.*, p. 536; epitheta, Donat., K. IV, p. 374, ejusque commentatores.
8. Caper ap. Roman. (Charis., K. I, p. 132); cf. Cledon., K. V, p. 36 : sed adjectiva ap. Bertsch, p. 27.
9. Charis., Diomed., Excerp. Bob., Dosith., *l. c.*
10. Apud Donatum, p. 374, interpolatum esse videtur. Primum ergo apud Servium (K. IV, p. 430) et apud commentatores, qui ab eo pendent, deprehenditur.
11. Charis., K. I, p. 156; Diomed., *l. c.*; Excerpt. Bob., *l. c.*; Dosith., K. VII, p. 398; Consent., K. V, p. 340.

nominaverunt[1]. Sed inter epitheta et adjectiones vel mediæ potestatis nomina eam esse differentiam voluerunt, ut prius vocabulum de locutionibus dicerent, quæ laudandi vel vituperandi gratia nominibus adjiciuntur[2] quasque gallice *appositions* appellamus; alia de adjectivis usurparent[3]. « Adjectivum » denique unum apud Priscianum usitatum deprehendi[4] idque apud nos obtinuit.

Dionysius Thrax inter derivatorum species *comparativa* (συγκριτικά) et *superlativa* (ὑπερθετικά) numerat[5] et ita se rem habuisse apud Apollonium Dyscolum ideo credendum est, quod Priscianus derivatis quoque ea non aliter subjicit, quam patronymica, denominativa[6], etc. Testimoniorum penuria impedimur, ne in ea quæstione Latinos per se veriora invenisse expresse affirmemus. Hoc tamen certum est nonnullos de comparationis gradibus seorsum a nominibus disseruisse[7]. Quantum ex antiquis monumentis comperiri potest, princeps Varro[8] vocabulorum quoddam genus esse observavit, in quo *contentiones* vel *collationes* fierent. Significatur autem illa contentionis notio per peculiarem *declinationem* (id est *derivationem*; cf. supra) : inde constituitur *augendi genus*[9], quod tripertitum est, ut ex hoc loco intellegi potest : « In aliis (verbis) deest *primum*, ut Peium Peius Pessimum, in aliis *medium* ut Cæsior Cæsius Cæsissumum, in aliis.... *secundum* et *tertium*, ut in hoc Mane[10], etc. » Deest tantum « gradus » vocabulum[11] et singulis gradibus propria nomina, ut omnia necessaria com-

1. Cf. p. 88, n. 7-11.
2. Cf. Charis., Diomed., Excerpt. Bob., Dosith., *l. c.* Hæc exempla proferunt : Lausus equum domitor, ipse doli fabricator Epeos.
3. *L. c.*
4. Cf. quoque Servium, *l. c.*
5. P. 27 sq.
6. K. II, p. 60.
7. Cf. præsertim Charis., K. I, p. 112 sqq.; Excerpt. Bob., p. 555 sqq.; Dosith., K. VII, p. 398 sqq.
8. VIII, 75.
9. VIII, 52.
10. VIII, 76.
11. Cur eo nomine hoc quasi *per gradus* incrementum appellatum sit, per se liquet.

plexus sit. Sed quam feliciter *augendi genus* nominaverit, non amplius demonstrandum est. Iisdem fere verbis, quibus Varro, Verrius [1] utitur, cum de « ocius » et « repulsior » *secundam conlationem* [2], de « ocissime » *tertiam conlationem*, de ὠκέως *primam significationem* dicat.

Nomina cujusque gradus, quæ apud posteriores artigraphos inveniuntur, a Palæmone jam usurpata fuisse ex iis, quæ jamjam monstrabo, concludendum esse arbitror. Sed apud Romanum [3] primum « gradus » vocabulum deprehendi. Cum autem nullum hujus exemplar apud Græcos repppererim, nescio an Latini ipsi per se id de re grammatica adhibuerint, Varronem secuti, qui jam observaverat nomina, quæ in augendi genere poneret, quasi triplici sensus incremento gradatim crescere posse.

Primus vero gradus (quem « gradum » esse Cledonius [4] quidamque alii negant) *absolutus* a Quintiliano [5], *absolutus* vel *simplex* a Gellio [6] dicitur : quæ vocabula, ex græcis traducta (cf. ἅπλουν, ἀπολελυμένως apud Aristarchum [7]), merum adjectivum et incremento quasi liberum esse significant. *Primitivus* quoque [8] et sæpius *positivus* [9] appellatur (cf. apud Apollonium [10] πρωτότυπον), quæ vocabula de nominibus non derivatis jam usitata supra vidimus, adjectivumque primam suam formam haud mutatam retinuisse demonstrant. Secundus gradus *comparativus* jam apud Quintilianum (= Palæmonem) Gelliumque [11] nuncupatur, atque hanc appellationem e vocabulo græco « συγκριτικόν » (cf. συγκρίνω, « confero, comparo ») deductam

1. Fest., p. 181, 286.
2. « Conlationem recipiunt », id est comparativam formam habere possunt, ap. Plin. (Char., K. I, p. 135).
3. K. I, p. 137. Cf. *comparationis gradum*, Donat., K. IV, p. 355, *gradum collationis*, *Inst. Art.*, K. IV, p. 56.
4. K. V, p. 38; Bertsch, p. 29.
5. IX, 3, 19, ergo a Palæmone.
6. V, 21.
7. Cf. Steinthal, *l. c.*, II, p. 109.
8. Charis., K. I, p. 112.
9. Cf. præsertim Donat., K. IV, p. 355; Prisc., K. II, p. 83. Cf. supra, p. 57, 76.
10. *De construct.*, III, 13.
11. *L. c.*

esse perspicuum est [1]. Nec tam feliciter in ea Græcorum exemplum Latinos secutos esse arbitror, ne sibi constanter quidem. Nam cum plures gradus comparationis adjectiva recipere posse comperissent, cur secundum potius comparativum vocaverint, non intellegitur. Nec per illum quidem comparationem solum, sed re vera prælationem significari, grammatici quidam jure notaverunt [2]; itaque *prælativum* esse nuncupandum; comparativum vero dicendum, quando *tam* vel *sic* adverbia positivo jungantur (tam doctus quam ille). Sed hic usus non obtinuit.

Ad tertium gradum designandum, nullum aliud invenitur vocabulum quam *superlativus*, quod, ut græcum ὑπερθετικόν redderetur, ideo fictum esse credo, quia jam apud rhetores *superlatio* (gall. *hyperbole*) usurpabatur; *superlatio* autem apud Quintilianum [3], Velium Longum [4], Romanum [5] deprehenditur pro *superlativo*.

Hic postremo, si veterum grammaticorum insistere vestigiis instituerem, demonstrativa, infinita, interrogativa, aliaque talia essent enumeranda, quæ inter pronomina reponi rectius arbitror.

De verbo.

Hoc quidem nullo argumento eget, τὸ ῥῆμα apud Græcos cujusvis ætatis scriptores dictionem quamcumque et sententiam quamvis exiguam significasse [6]. A Platone vero primum ex latiore illa et quasi indefinita significatione ad artiorem sensum traductum esse videtur, ita ut « quod dicitur de aliqua re » demonstraret, et *prædicati* quod grammatici dicunt enuntiationem proferret. Qua definitione τῷ ὀνόματι opponebatur, at ceteras omnes orationis partes promiscue complectebatur.

1. Comparandi nomina, Jul. Modest. (K. I, p. 73, 125).
2. Cledon., K. V, p. 38; Pomp., *Comm. in Donat.*, K. V, p. 151.
3. I, 5, 45. Superlativa nomina autem ap. Vel. Long. (K. VII, p. 49). Non dubito quin Palæmon, cum comparativum dixerit, superlativum quoque usurpaverit.
4. *L. c.*
5. Ap. Char., K. I, p. 114.
6. Cf. Classen, *l. c.*, p. 47 sq.; Steinthal, *l. c.*, I, p. 137 sqq., 238 sqq.

Paulatim autem et accuratius attendentibus occurrit in enuntiatis (quæ ῥήματα dicebantur), iis vocabulis quæ nunc *verba* (gall. *les verbes*) appellamus, principem locum esse, ut quæ vim et animam dictionis plerumque continerent : inde non sine idonea causa ῥήματος nomen ad præcipuam partem illius latiore prius sensu usitati ῥήματος transiit, confuse quidem et quasi tergiversanter apud Platonem et Aristotelem [1], distincte demum, ut videtur, apud Stoicos. At communi usu alius quoque ῥήματος sensus erat, et eo nomine designabatur orationis vocalis illa pars, ut definit Varro [2], quæ et indivisa et minima est, atque a Latinis verbum dicebatur. Itaque cum græcum ῥῆμα suam in linguam ii transferre voluerunt, vocabulum ipsum potius quam ejus sensum et vim exprimere conati, *verbum* parum apte dixerunt : quod postea ideo defenderunt, quasi « verbo » frequentius uterentur [3], et « omnium orationis partium communem nominationem per excellentiam hæc quasi egregia propriam [4] » jure possideret. Ea autem excusatio quam vero et rationi parum consentanea sit, demonstrare non opus est [5]. Quicquid id est, Varronis ætate *verbum* eo sensu nondum in usu communi esse inde colligi potest, quod sæpe id per se haud clarum judicat, cum ei sive *temporale* [6], sive circumlocutionem, *quod tempora adsignificat* [7], adjungat. Eo tamen vocabulo sine ulla hujus generis adjunctione omnes postea grammatici utuntur.

De personis.

Ut in fabulis, sic in oratione tres quasi partes agi [8] et verbis defendi posse Græci cum animadvertissent, τρία πρόσωπα

1. Qui pluribus locis adjectiva pro exemplis ῥήματος ponit.
2. X, 77; cf. supra, p. 58.
3. Prisc., K. II, p. 369.
4. Prisc., K. III, p. 117.
5. Cf. Steinthal. *l. c.*, II, p. 235 sq.
6. VIII, 13; IX, 95; 109, etc.
7. *Ibid.*, appellantur quoque verba ab eo *dicendi vocabula* (VIII, 44).
8. Cf. ap. Varron., VIII, 20 : « Qui loqueretur, ad quem, de quo. »

(id est partes in fabula agenda, vel personas), πρῶτον (ἀφ' οὗ ὁ λόγος), δεύτερον (πρὸς ὃν ὁ λόγος), τρίτον (περὶ οὗ ὁ λόγος) [1], verbis accidere constituerunt. Quam Latini metaphoram sibi assumentes, illas verborum varietates, quibus, dicatne de se (solo vel cum aliis) qui loquatur, an de eo (solo vel cum aliis) ad quem loquatur, an de tertio alio quolibet (vel aliis), demonstratur, *personas* [2] quoque nuncupaverunt; itemque *primam, secundam, tertiam*que esse personam dixerunt [3] : quas appellationes et Varro [4] et Palæmon [5] jam usurpaverunt.

De **numero**, cf. supra, p. 62.

De temporibus.

Cum singula tempora, quæ actionibus per « verba » enuntiatis assignentur, peculiaribus exprimantur formis, illæ formarum series, quibus tempus idem significatur cum diversis personis, numeris ac modis, χρόνοι (τοῦ ῥήματος) a Græcis appellatæ sunt : quod vocabulum a Latinis in *tempora* [6] ad verbum conversum est. Quamquam vero jam Aristoteles observaverat temporis significationem cum « verbi » notione artissimo vinculo conjungi, Stoici tamen primi grammatica quæ dicuntur *tempora* ad examen separatim vocavisse, eaque quid inter se differrent et quibus nominibus nuncupanda essent, accurate dijudicasse videntur [7]. Illorum autem doctrina in hoc quasi fundamento ponitur, quod non solum tempus per se ipsum, sed actionem quoque ejusque gradus et progressus observandos esse arbitrantur. Compererunt ergo per formas verborum et distingui tria tempora, præteritum scilicet, præsens ac futurum, et id dignosci utrum actio, in cujus signi-

1. Dionys. Thrax, p. 51.
2. Jam ap. Varr., IX, 32; 95; 101; 108, etc., et Palæmon., Quintil., I, 4, 27, etc.
3. Cf. Egger, *Annuaire Assoc. des études gr.*, XI, 139 sq.
4. Secunda persona, IX, 108.
5. Tertia persona, Quintil., I, 4, 29.
6. Cf. Varron., IX, 32; 95; 96, etc.; Cic., *De Orat.*, III, 11, 40; Verrium ap. Fest., p. 241; Palæmon. ap. Quintil., I, 5, 41; ceterosque artigraphos.
7. Cf. Lersch, *l. c.*, II, p. 208 sqq.; R. Schmidt, *l. c.*, p. 66 sqq.

fficatione verbi vis ponitur, inchoata tantum atque ad effectum futurum quasi progrediens dicatur an perfecta jam et absoluta. Inde, quod nos « præsens », illi ἐνεστῶτα παρατακτικόν, id est « præsens (ἐνεστῶτα) durans et se ad futurum extendens », vel ἐνεστῶτα ἀτελῆ, id est « præsens nondum perfectum », dicebant; quod nos « imperfectum », illi παρῳχημένον (præteritum) παρατακτικόν vel ἀτελῆ; quod nos « perfectum », illi ἐνεστῶτα συντελικόν vel τέλειον, id est « præsens perfectum »; quod nos « plusquamperfectum », illi παρῳχημένον συντελικόν vel ἀτελῆ[1]. Etsi simile quid de « futuro » Stoicos constituisse in testimoniis veterum non videmus, ab iis tamen etiam inter τὸν μέλλοντα παρατακτικόν et τὸν μέλλοντα τέλειον distinctum fuisse, ex cetera doctrina colligendum est.

Apud Latinos autem, quin Varro illorum philosophorum placita approbaverit, non potest dubitari. Nam sæpe, de specie verborum quam *temporalem* appellat[2] disserens, eam esse trium « temporum[3] » declarat, quæ *præteritum* (ad verbum παρῳχημένον vel παρεληλυθός[4]; παρά enim idem est quod *præter*, ὠχημένον vel ἐληλυθός idem quod *-itum*), *præsens* (ad verbum παρόν[5]), et *futurum* (cf. μέλλον) nuncupat[6]. Tum eorum temporum duplicem rursus esse speciem ostendit, ut quodque cum actione sive inchoata vel infecta (cf. ἀτελής), sive perfecta (cf. τέλειος) adjungitur; inde alia esse *infecta*, alia *perfecta* verba[7] dicit. Itaque quamvis nusquam apud eum deprehendantur hæ dictiones[8], *præteritum infectum, præsens infectum, futurum infectum, præteritum perfectum, præsens perfectum, futurum perfectum*, cum tamen sæpe opponat binas hujus generis series, « discebam, disco, discam : didiceram, didici, di-

1. V. locos, apud Schmidt, præsertim p. 69 sq.; cf. Lersch, *l. c.*; Steinthal, I, p. 309 sqq.
2. Cf. X, 31.
3. Cf. VIII, 20; IX, 32, etc.
4. Cf. Arist., *Poet.*, 20; Dion. Thr., p. 53.
5. Arist., *l. c.*
6. Cf. apud Ciceronem : « Quæ præterierint, quæ instent in præsentia, quæ consequantur » (*De Invent.*, I, 26); « *Præteritum, instans, consequens* » (*Ad Heren.*, II, 5).
7. IX, 96; X, 33, etc. Dicit quoque *infectas res* et *infecti verba*, etc.
8. Fortasse quia minimam ejus librorum partem tantummodo habemus.

dicero; amabar, amor, amabor : amatus eram, am. sum, am. ero, etc.[1] », hoc saltem affirmandum est, hæc nomina latinorum verborum temporibus imponere ejus doctrinæ consentaneum esse.

Sed illam tam bene aptam temporum inter se respondentium compositionem cum grammatici Græci mox neglexissent, Latini quoque, quamvis veram latinæ conjugationis naturam repræsentaret, ceteri omiserunt. Etenim ad verbum prope Dionysium Thracem plerique referunt, apud quem tria sunt tempora ἐνεστώς, παρεληλυθώς, μέλλων, sed ὁ παρεληλυθώς rursus in quattuor differentias dividitur, παρατακτικόν, παρακειμενόν, ὑπερσυντέλικον, ἀόριστον[2]. Latini ceterum, quorum in lingua ὁ παρακείμενος et ὁ ἀόριστος in unum commixti sunt, tres tantum « præteriti » species receperunt. Nunc tandem quomodo et unde tempus quodque nominaverint, exponendum est.

Duæ reperiuntur *præsentis* appellationes; hoc enim tempus alii *præsens*, ut Varro[3], alii *instans* (ad verbum ἐνεστώς), ut jam Cicero[4], nuncupant[5]. Temporum quæ anteacta significant commune nomen nullum aliud repperi, nisi *præteritum*[6]. Sed quod vocatur *imperfectum* vel *præteritum imperfectum*, *inchoativæ*[7] quoque vel *minusquamperfectæ* speciei[8] esse a quibusdam dicitur. « Imperfectum » autem, quia, cum « perfecto » opponeretur, aptius græcorum vocabulorum « ἀτελής » et « τέλειος » oppositionem reddebat, « infecti » in locum successit; « inchoativa » vero ab « inchoato », quod apud Varronem invenimus, derivatur; et « minusquamperfecta » ad exemplar « plusquamperfecti » fictum est.

1. Cf. IX, 96 sqq.
2. P. 53.
3. Cf. supra, p. 94.
4. Cf. supra, id., n. 6.
5. Utrumque apud Gell. (XVII, 7); *Inst. Art.*, K. IV, p. 155; Charis., K. I, p. 168 sq.; Diomed., K. I, p. 335, etc.
6. Cf. supra, p. 94.
7. *Inchoativum tempus* apud Diomedem, qui et *imperfectum* dicit (K. I, p. 336). *Inchoativa* vero *species* invenitur ap. Sacerd. (K. VI, p. 435), Cominian. (K. I, p. 176), *Instit. Art.* (K. IV, p. 159 sqq.).
8. *Inst. Art.*, K. IV, p. 159 sqq.; Macrob., K. V, p. 609 : Quæ sit vero eo sensu « species » nusquam enucleate explicatum repperi.

Perfectum, subaudito « præterito », tempus appellatur, quod græcis παρακειμένῳ et ἀορίστῳ respondet; quod vocabulum ad « plusquamperfectum » et « futurum exactum » designandum non minus aptum esse supra vidimus. *Absolutæ* tamen speciei a quibusdam jure adscribitur[1], ut quo tempus præteritum sine ulla alia adjecta notione exprimi possit. *Plusquamperfectum* e græco ὑπερσυντέλικος (plusquam = ὑπέρ) prope ad verbum translatum esse apparet[2]. Ut « perfectum » autem « absolutæ », sic *exactæ* speciei esse id tempus ideo nonnunquam dictum est, quod rem jampridem perfectam demonstraret[3]. Alii vero quasi rem, e memoria jam elapsam, rursus id commemoraret, *recordativæ* cujusdam[4], alii quasi res in oblivione jaceret, *oblitteratæ* speciei[5] subtilius plusquamperfectum faciebant. Cur autem, Charisio teste[6], quidam in *recordativa* quoque specie « limaverim, legerim, etc. » reponerent, non intellexi.

In voce passiva denique sunt qui formas ut « amatus sum, eram, ero » et « amatus fui, fueram, fuero » inter se expressius distinguant. Has enim (amatus fui, etc.) nuncupant, addentes temporis nomini (id est, præterito perfecto aut plusquamperfecto) aut vocabulum « ulterius[7] », aut « superlativum[8] », aut locutiones « ulteriore modo[9] », « specie ulteriore[10] », ita ut « ulterior » vel « superlativum » ad eas designandas adhibeatur : quas appellationes non inepte fictas esse arbitror, cum per alteram (ulterior) remotius quodam modo tempus[11],

1. Cf. Cominian., *l. c.;* Diomed., K. I, p. 346, etc.
2. Donat., K. IV, p. 360; Diomed., K. I, p. 336; Priscian., K. II, p. 405 sq., etc.
3. Cominian., *l. c.;* Diomed., K. I, p. 346, etc.
4. Cf. Diomed., *l. c.*, Excerpt. Bob., K. I, p. 562.
5. Char., K. I, p. 168.
6. *L. c.*
7. Diomed., K. I, p. 353. Cf. L. Havet, *Abr. Gram. lat.*, § 623, « temps antérieurs ».
8. Excerpt. Bob., K. I, p. 562 sq.
9. Donat., K. IV, p. 361.
10. *Inst. Art.*, K. IV, p. 160.
11. « Clausus sum » marque un état de choses qui *existe* actuellement, « clausus fui » un état de choses qui *a existé* autrefois.... La périphrase « scriptus fueram » s'emploie quelquefois aussi pour marquer une action antérieure à une action exprimée au moyen du plus-que-parfait ordinaire avec « eram ». De même « scriptus fuero », etc. (Riemann, *Synt. lat.*[2], p. 208.)

per alteram (superlativum) notio temporis quasi aucta et ad summam sui vim evecta[1] significari videatur. Neque sine detrimento utraque obsolevit : nam inde factum est, ut sæpius « amatus fui » cum « amatus sum » confunderetur. Quid autem interesset inter has duas locutiones, grammatici Latini per se ipsi observaverunt et peculiaribus vocabulis expresserunt.

Sacerdos vero[2] cur « amavero, amatus ero, amatus fuero, docuero, etc. » speciei *ulteriori* futuri subjunctivi pariter assignaverit, non intellego : nisi forte apud grammaticum quendam « futurum exactum » (amavero, amatus ero, etc.) speciei « ulteriori » futuri adjudicatum fuisset, Sacerdosque stulte permisceret hujus doctrinam cum placitis eorum qui « futurum exactum » inter tempora subjunctivi collocarent.

De futuro[3] notandum est quosdam id esse « tempus indicativi » negavisse, sed « modum » contendisse, quem *promissivum* appellabant, « ut quo acturos nos aliquid polliceremur[4] ». Sacerdos autem tempus esse « futurum » opinatur *specie promissiva*[5]. Me vero in illa subtili et inani quæstione recentiorum opinionem ostendere ac defendere non opus est.

Sed hoc profecto mirandum est, cum Varro et Nigidius Figulus[6] futurum exactum expresse distinxissent, a nullo posteriore grammatico id pro tempore indicativi habitum esse, sed ab omnibus subjunctivo adnumerari.

Imperativi vero futurum sine Græcorum exemplo Latinos dignovisse per se liquet. Nec scio an Varro jam ipse duo tempora imperativi esse perspexerit. Quod ex hoc loco subobscuro

1. Bis, ut ita dicam, idem tempus per eas formas significatur. Etenim « epistula scripta fuit » quid aliud est nisi quodam modo « epistula fuit quæ scripta est » (= duo perfecta)? « epistula scripta fuerat » quid est nisi « epistula fuerat quæ scripta erat » (= duo plusquamperfecta), etc.?
2. K. VI, p. 436 sqq. Cf. Consent., K. V, p. 375 : « Dicimus enim ulteriore cum lectus ero, item alio ulteriore cum lectus fuero.
3. Cf. supra, p. 94.
4. Cominian., K. I, p. 176; Charis., *ibid.*, p. 168; Pomp., K. V, p. 214 sq., etc.
5. K. VI, p. 432.
6. Gell., XVII, 7. « Si vero copulate permixteque dictum intellegas, ut « subruptum erit » non duo, sed unum verbum sit idque unitum patiendi declinatione sit, tum hoc verbo non minus præteritum tempus ostenditur quam futurum. »

colligi posse arbitror. Iis enim respondens[1], quos in hoc reprehendere fingit, « quod quædam verba neque personas habent ternas neque tempora terna », sic eloquitur : « Quare cum imperamus, natura quod infecti verba solum habent, cum aut præsenti aut absenti imperamus, fiunt terna, ut Lege Legito Legat; perfectum enim imperat nemo; contra quæ sunt indicandi, ut Lego Legis Legit, novena fiunt verba infecti, novena perfecti. » Neque dubitari potest, quin Varro intellexerit, tot imperativi formas, quot indicativi, idcirco non esse, quia præteritum tempus et prima persona imperativo deessent. Restant ergo duæ personæ duoque tempora, neque scimus an Varro plane non viderit, ideo pro quattuor formis tres tantum usurpari, quia Legito duarum personarum esset. Cum porro « præsenti » et « absenti » dicit, utrum priore vocabulo secundam personam, alteroque tertiam, an priore præsens tempus, alteroque futurum significet, obscurum est. Sed etiamsi personas, non tempora, per hæc vocabula designare vellet, quomodo tres esse formas imperandi explicare posset, nisi alias esse præsentis temporis, aliam futuri crederet? « Lege » enim esset præsentis personæ, « legat » absentis. Quid autem « legito »? Quicquid id est, post Varronem nihil de imperativi futuro, quod sciam, invenitur, ante IV sæculi artigraphos, qui omnes hoc tempus discriminant.

Appellationes, ad tempus pertinentes, hactenus, fere nulla sæculorum post Varronem ratione habita, enumeravi. Nullum enim fere testimonium de ea quæstione inter Varronem et artigraphos IV sæculi habemus. Quamquam Schottmueller Palæmoni attribuit hos locos Charisii[2], quibus, præpositis brevibus explicationibus, verborum ordines et declinationes exponuntur. In hanc autem opinionem adductus est illo præclaro « velut », qua obrussa Palæmonis doctrinam et verba discerni posse profitetur[3]. Quod non veri simile esse judico.

1. IX, 101.
2. K. I, p. 168-173.
3. Cf. supra, p. 21 et n. 3.

Ut enim nullum exemplum protulerit Palæmon, nisi illo « velut » prægrediente, credine potest nullum alium grammaticum ea particula tam communi æque usum esse? In locis præterea, qui nunc in quæstione versantur, notandum est inter quattuor ordines, id est conjugationes, verba dividi, cum Quintilianus, Palæmonis discipulus, de « ferveo » et « fervo », « fervit » et « servit »[1] disserens, non claram conjugationum notionem habuisse videatur. Tum cur Charisius, qui suos auctores in eodem libro tam sæpe laudavit, hic Palæmonem non laudaret? cur denique cum aliis locis primum Cominiani, dein Palæmonis, postremo Romani doctrinam exscriberet[2], hic Palæmonem[3] Cominiano[4] præponeret? An ergo hæc conjugationum paradigmata Palæmonis non sint, dubitandum est. Attamen, ut omnem calumniam effugiam, vocabula quæ de temporibus in iis usurpantur seorsum enumerare volo : instans scilicet, præteritum imperfectum, perfectum, plusquamperfectum, futurum. Apud Quintilianum autem præteritum[5] et præteritum perfectum[6] solummodo repperi; apud Scaurum[7] indicativum. Artigraphi vero IV sæculi non solum alii aliis, sed interdum ne sibi quidem singuli consentiunt : quod ut demonstrem, vocabula percensebo, quibus præcipui grammatici usi sunt.

Sacerdos, de temporibus generaliter disserens, nominat : præsens, præteritum imperfectum, perfectum, plusquamperfectum, futurum[8]; cum autem conjugationum paradigmata exponit[9] : præsens vel instans, præteritum imperfectum specie inchoativa, præteritum perfectum, præteritum plusquamperfectum specie recordativa, futurum specie promissiva.

1. I, 6, 7 sq. Cf. supra, p. 24.
2. Cf. de adverb., K. I, p. 181, 187, 190; de conjunctione, *ibid.*, p. 224, 225, 229; de præpos., *ibid.*, p. 230, 231, 233; de interject., *ibid.*, p. 238, 239.
3. P. 168-175.
4. P. 175 sqq.
5. I, 4, 29.
6. I, 6, 26.
7. K. VII, p. 33 sq.
8. K. VI, p. 432; eadem nomina Victor., p. 199.
9. *Ibid.*, p. 435 sqq.

Cominianus, qui non seorsum de temporibus disserit neque paradigmata exponit, sed explicat quomodo tempora et modi formentur, adhibet : præsens, præteritum specie inchoativa, præteritum specie perfecta vel absoluta, præt. spec. recordativa vel exacta, modum promissivum [1].

Donatus, generaliter de temporibus : præsens, præteritum differentia imperfecta, præter. differ. perfecta, præter. differ. plusquamperfecta, futurum [2]; in paradigmate : præsens, præteritum imperfectum, præter. perfect., præter. pl. q. perf., futurum; ulteriore modo (de « lectus fui, etc. [3] »).

Anonymus apud Charisium, generaliter de temporibus : instans [4], præteritum cum quattuor differentiis, inchoativa vel imperfecta, præterita (!), oblitterata, recordativa, futurum [5].

Diomedes, generaliter de temporibus : instans, præter. imperf., perfect., pl. q. perfect., futurum [6]; de distinctione autem conjugationum tractans : præsens, præter. imperfect. spec. inchoat. (semel imperf. sp. inch.), præter. perf sp. absoluta (semel perf. sp. abs.), præter. pl. q. perf. sp. exacta, futurum (semel modum promissivum) [7]; in paradigmatibus denique conjugationum : præsens, præter. imperf. sp. inchoat., præter. perf. sp. absol., præter. pl. q. perf. sp. recordativa; perfectum ulterius (amatus fui, etc. [8]).

Plurima eodem loco nomina proferunt *Instituta Artium*, sub nomine Probi a Keilio edita : præsens vel instans, præter. sp. imperf. sive minusquamperfecta sive inchoat., præter. sp. perf. vel absol., præter. sp. pl. q. perf. sive recordat. vel exacta, futurum; ulterius (probatus fui, etc. [9]).

1. Apud Charis., K. I, p. 175 sqq.
2. K. IV, p. 384.
3. *Ibid.*, p. 360 sqq.
4. Alius paulo supra, præsens.
5. K. I, p. 168.
6. K. I, p. 335.
7. K. I, p. 346 sqq.
8. *Ibid.*, p. 351 sqq.
9. K. IV, p. 160 sqq.

Priscianus denique : præsens, præter. imperfec., præter. perfect., præter. pl. q. perfect., futurum [1].

De modis.

Modorum quos dicimus diu notionem Græci non discreverunt. Protagoras enim cum quattuor dicendi partes, interrogandi scilicet, respondendi, mandandi, precandi [2] diduxisset, rhetoricæ tantum rationem habuerat, et quid exprimerent loquendo homines ita indicaverat, at non quibus verborum formis. Rhetorica profecto illa divisio ad observandos et discriminandos grammaticos verbi « modos » haud dubie vocabat. Attamen nullam usquam eorum mentionem apud Platonem et Aristotelem deprehendimus. Nec cum « Peripatetici quinque partibus omnes species orationis ac membra [3] » distribuissent, nec cum Stoici nonnullos alios dicendi modos [4] enumerassent, ad « modos verbi » distinguendos multum contulerant. Ne Aristarchum quidem ipsum eos dignovisse et nuncupavisse Steinthal [5] pluribus exemplis demonstravit. Nec ultra progressum esse Varronem apparet, sed Protagoræ potius et Peripateticorum vestigiis institisse, qui rhetoricæ rationi obsecutus, non modos a temporibus et personis separaverit, et has sex species « verbis » attribuerit : « Una quæ dicitur temporalis, ut Legebam Gemebam, Lego Gemo; altera personarum, ut Sero Meto, Seris Metis; tertia rogandi, ut Scribone? Legone? Scribisne? Legisne? quarta respondendi, ut Fingo Pingo, Fingis Pingis; quinta optandi, ut Dicerem Facerem, Dicam Faciam; sexta imperandi, ut Cape Rape, Capito Rapito [6]. »

Princeps Dionysius Thrax, qui non alios « modos » enu-

1. K. II, p. 448 sqq.
2. Cf. Quintil., III, 4, 10.
3. Deprecativa scilicet, imperativa, interrogativa, vocativa, enuntiativa (Boet., *Ad Arist. de interpr.*, 315); cf. Hermagor., *Bekk. Anecd.*, p. 1178; Lersch, *l. c.*, II, . 202.
4. R. Schmidt. *l. c.*, p. 72.
5. *L. c.*, II, p. 116 sqq.
6. X, 31.

meret, quam quibus forma sit peculiaris, iisque adscribat τὴν ἀπαρέμφατον (infinitivum), eo sensu « modos » dixisse videtur, quo vulgo nos in grammaticis usurpamus[1]. Apud eundem illis verborum formis, quas Aristoteles et Peripatetici πτώσεις ῥήματος[2], Aristarchusque ῥῆμα[3] appellaverat, nomen proprium ac singulare, ἐγκλίσεις, imponi primum cernimus. Utrum tamen hoc nomine eadem tantum notio, quæ per vocabulum « πτώσεις », id est, accidentium verbo mutationum, significetur[4], an jam tum animi inclinatio ad aliquid tendentis[5], dijudicari non potest, nec magni ad propositum meum refert. Hoc certe animadvertendum est, v. ἐγκλίσεις apud Græcos post Dionysium in usu fuisse. Quod vocabulum Diomedes ad verbum, ut solet, in *inclinationes* convertit[6]. Sed ea appellatio non obtinuit. Nonnulli enim, et ante Diomedem, *status*, plures vero *qualitates*, at plerique *modos*[7] dixerunt; neque ea vocabula a Græcis Latini assumpsisse videntur. Forsitan, cum modorum notionem sero observatam et explanatam esse viderimus, id est paulo antea quam Romani ipsi per se grammaticæ studerent, hos ad eam illustrandam non inutilem navavisse operam credendum sit, atque eas appellationes, tamquam hujus operæ monumenta, imposuisse. Nec tamen arbitror statim per eas significare voluisse grammaticos, aut « modis » singulis certum animi statum respondere, aut per eos exprimi qualis sit loquentis affectus et modus sentiendi. Sensum, ut ita dicam, philosophicum « modorum » ac veram potestatem Apollonius Dyscolus princeps detexisse et exposuisse creditur[8], Priscianus[9] autem, ejus discipulus, primus apud Latinos ostendisse.

1. P. 47.
2. Cf. Gräfenhan, *l. c.*, I, p. 486.
3. Cf. Steinthal, *l. c.*
4. Steinthal, *l. c.*, II, p. 274 sq.
5. Schol. Dion. Thr.; cf. ed. Uhlig, p. 47.
6. K. I, p. 338. Cf. supra, p. 34 sq.
7. Quintil., I, 5, 41. Tria vocabula ap. Quintilian., ergo et ap. Palæmonem. Cf. p. 24.
8. Steinthal, *l. c.*, II, p. 276 sqq. Cf. Egger, *Apoll. Dysc.*, p. 147.
9. K. II, p. 421.

Priores vero grammatici, cum *modos, qualitates,* vel *status* dicerent, nondum ad intimam « modorum » naturam penetraverant. At potius quasdam qualitates, modos aut status verbi eos esse existimabant, nec prope aliud his appellationibus exprimebant quam quod « specie » possent. Ceterum singulos « modos » considerantes mox videbimus, quam serviliter Græcos plerique secuti sint, quotiensque « modos » *grammaticos,* id est singularibus ac propriis formis insignitos, ac *rhetoricos,* id est certum animi habitum exprimentes, confuderint. Quo errore perturbantur et obscurantur grammaticæ notiones, cum unus « modus grammaticus » plures animi affectus sæpe demonstrare possit.

Cum Dionysius ἐγκλίσεις quinque discriminaret, ὁριστικήν scilicet, προστακτικήν, εὐκτικήν, ὑποτακτικήν, ἀπαρεμφατόν[1], cumque latina lingua subjunctivi et optativi formas permiscuisset, ut inde unus modus efficeretur; quattuor tantum modos Palæmonem ejusque imitatores artigraphos recepisse crederes. Sed non ita se res habuere. Palæmonem enim testatur Consentius[2] et in lingua latina optativum a subjunctivo differre docuisse. « Quæcumque sunt optativi verba, eadem et coniunctivi sunt, ut ait Palæmon; at quæ coniunctivi, non eadem et optativi. » Nec tamen quinque tantum modos, ut Dionysius, admisit. Quintilianus[3] enim eos « vel sex, vel, ut alii volunt, octo » esse commemorat. Unde concludendum existimo apud Palæmonem sex modos distinctos fuisse, ejusque ætate apud quosdam jam octo. Qui sint autem a Palæmone recepti, non dijudicari potest[4]. At, ut plane

1. P. 47.
2. K. V, p. 375.
3. I. 5, 41; cf. supra, p. 24.
4. In eo loco Charisii quem Schottmuellerum Palæmoni attribuisse supra commemoravi, sunt quinque tantum : pronuntiativus seu finitivus, imperativus, optativus, subjunctivus seu conjunctivus, infinitivus. In paradigmatibus autem quæ sequuntur, præterquam quod pro infinitivo infinitus dicitur, adduntur quoque participia, supina vel adverbia (gall. *gérondifs*), passiva impersonalia (gall. *supins*). Sed non inde colligi potest ab auctore paradigmatum participia, etc., inter modos collocari, cum hic quoque proferantur « appellatio amatio, nomen amator, adverbium amabiliter ». P. 169, etc.

appareat, quantum de numero modorum veteres dissenserint, hunc locum Diomedis referam : « Quinque esse omnes fere grammatici consentiunt. Nam qui sex voluerunt, vario iudicio alii promissivum, quidam inpersonalem coniungunt ; qui septem, utrumque prioribus adiciunt ; qui amplius, percontativum adsumunt ; qui novem, subiunctivum a coniunctivo separant ; qui decem, etiam adhortativum adscribunt[1]. Verum ex his, ut ipsa declinatio verborum exposcit, inpersonalis et participialis a quibusdam admittitur[2]. » De ea autem quæstione nullum testimonium, præter Quintiliani, ante grammaticos IV sæculi ad nos pervenit. Ergo primum quæ fuerint apud grammaticos modorum nomina, et qua ratione hæc nomina creata sint, deinde, pro conclusione, quos modos præcipui artigraphi receperint, ostendam.

Modus, quo res tantum affirmantur aut negantur, quemque Aristoteles ῥῆμα[3] (alii vero πτώσεις ῥήματος) et Stoici ὄρθον[4] appellaverant, ὁριστική[5] dicitur a Dionysio, id est per quem definiri aliquid et describi potest. Inde Latini *finitum*[6], *finitivum*[7] et *definitivum*[8] (ex [de] finiendo, ut ὁριστική ex ὁρίζειν) deduxerunt. Apud Peripateticos autem quædam constituitur species, λόγος ἀποφαντικός appellata[9], id est qua aliquid indicatur. Inde Varro dixit « (verba) quæ sunt *indicandi*[10] », multi *indicativum*[11], nonnulli *pronuntiativum*[12]. His vero diversis vocabulis unum tantum et eundem « modum » diversi

1. Vide infra (p. 109 sq.) quot et quos modos præcipui artigraphi admiserint.
2. K. I, p. 338.
3. Cf. supra, p. 64 et n. 1.
4. Steinthal, *l. c.*, II, p. 274 ; cf. *rectum modum*, ap. Macrob., K. V, p. 611.
5. *L. c.*
6. Sacerd., K. VI, p. 435 sqq.
7. Sacerd., *ibid.*, p. 432 ; Char., K. I, p. 169 sqq. ; Diom., *ibid.*, p. 438.
8. *Explan. in Donat.*, II, K. IV, p. 503 ; Prisc., K. II, p. 421.
9. Enuntiativa oratio, cf. supra, p. 101, n. 3.
10. *L. c.*
11. Scaurus, K. VII, p. 33 ; Sacerd., *l. c.* ; Victor., K. VI, p. 199 ; Donat., K. IV, p. 381, etc. ; Char., K. I, p. 168 ; Diomed., *ibid.*, p. 343, etc. ; Excerpt. Bob., *ibid.*, p. 562 ; *Inst. Art.*, K. IV, p. 155, etc. ; Prisc., *l. c.*
12. Sacerd., Donat., Char., Diom., *Inst. Art.*, *l. c.* Apud Quintil. (I, 6, 7) *fatendi modus*, utrum de prima tantum persona (cf. Excerp. Bob., *l. c.*, et infra, p. 105, n. 1), an de toto modo dicatur, nescio.

grammatici significare voluerunt. Sed quidam sensum potius quam figuram et rhetoricum magis quam grammaticum « modum » spectantes, ab indicativo[1] separavere *percontativum*[2] vel *interrogativum*[3] quem jam Varro *rogandi speciem* nuncupaverat[4] ; in quo quidem discriminando et denominando imitati sunt et Protagoram, qui ἐρώτησιν, et Stoicos, qui πυσματικόν λόγον, et Peripateticos, qui ἐρωτηματικόν λόγον distinxerant[5].

Quo imperamus aliis, ut faciant aliquid vel patiantur, is modus a Græcis προστακτική[6] (cf. προστάσσειν, imperare), a Latinis *imperativus* nuncupatus est[7]. Cum autem Stoici speciem constituissent ὑποθετικήν, id est qua hortamur, in qua prima tantum pluralis numeri persona reponenda esset, quidam *hortativum*[8] vel *adhortativum*[9], aut, græcum nomen verbum pro verbo exprimentes, *suppositivum*[10] (ὑπό = sub, τίθημι = pono) assumpserunt. Nonnulli denique futurum imperativi *mandativum sermonem* potius quam imperativum dicendum esse censuerunt, quod in futurum mandare soleamus[11].

Subjunctivus[12], apud Græcos ὑποτακτική[13] (cf. ὑποτάσσειν

1. Apud Excerp. Bob. (K. I, p. 562) videmus, alias fore indicativi personas alii modo attributas esse : « Hic multifariam interpretatur. Nam et fatendi ex prima persona dicimus...., et arguendi ex secunda persona ; .... quidam hanc personam in loco percunctandi posuerunt adiecta *ne* syllaba, ut amasne ; et nuntiandi ex tertia.... Etiam hæc species prima sensum habet interrogandi, ut amo? amas? amat? quod actu orationis dividitur, utrum interrogativum sit an pronuntiativum. »
2. Victor., K. VI, p. 199 ; Diomed., K. I, p. 338.
3. Excerpt. Bob., K. I, p. 562.
4. X, 31 ; cf. supra, p. 101.
5. Cf. Quintil., III, 4, 10 ; Diog. Laert., IX, 53 ; Lersch, *l. c.*, II, p. 202 ; R. Schmidt, *l. c.*, p. 72 ; Apollon. Dysc., *De constr.*, III, 21 ; Egger, *Apoll. Dysc.*, p. 158. Idcirco fortasse nonnulli hunc modum constituerunt, quod, adjecta particula *ne*, forma verbi in interrogatione sæpe commutatur. Cf. Varr., *l. c.*, qui exempla profert : « Scribone? Legone? Scribisne? Legisne? » Item Victor., *l. c.* : « legisne? » Excerpt. Bob., K. I, p. 562. Hic ceterum testatur « actu orationis » quoque dignosci « utrum interrogativum sit an pronuntiativum. » Cf. n. 1.
6. Dionys. Thr., p. 47.
7. *Imperandi species*, ap. Varr., *l. c.* Imperativus ap. omnes artigraphos.
8. *Hortandi* ap. Victor., K. VI, p. 199 ; Diomed., K. I, p. 353 ; hortativus, ap. Prisc., K. II, p. 419 ; K. III, p. 237. Cur autem Diomedes appellaverit « amemur » *gerundi* sive hortandi, non intellego.
9. Diomed., K. I, p. 338.
10. Hoc vocabulum ap. Priscianum unum deprehendi, K. II, p. 449.
11. Diomed., *l. c.*, p. 338.
12. Sacerd., K. VI, p. 432, 436 ; Char., K. I, p. 169 sqq. ; Diomed., *ibid.*, p. 340, 353 ; Prisc., K. II, p. 422.
13. Dion. Thr., p. 47 ; Apoll. Dysc., *De constr.*, III, 28.

et subjungere), non a significatione quadam, ut priores modi, sed a constructione nomen accepit « quod per se non exprimat sensum, nisi insuper alius addatur sermo, quo superior patefiat[1] ». Dicitur quoque *conjunctivus*[2], et *junctivus*[3] et *adjunctivus*[4]. Erant autem qui « conjunctivum » a « subjunctivo » separarent[5], sed quo discrimine, veteres grammatici non ostendunt. Cum apud Græcos præterea a nonnullis διστακτική[6] nuncuparetur e verbo διστάζειν (dubitare), quod dubitationem aliquando significare posset, inde Priscianus quosdam *dubitativum* eum appellasse dicit[7]. Nonnunquam etiam distinguitur a subjunctivo *concessivus modus* (nihil tale apud Græcos invenimus), ut *viceris, legerim*, etc., quod « plerumque altercationes interrumperet et tolleret contentiones concedendo[8] ». Omnes denique, Græcorum videlicet imitandorum studio, sensum potius quam formas observantes, *optativum*[9] modum constituerunt (cf. εὐκτική ex εὔχεσθαι, ut « optativus » ex optando), cujus declinationem a subjunctivo nihil differre fatentur.

Ἀπαρέμφατος (ἀ privativum et παρέμφατος, e « verbo » παρεμφαίνειν, declarare, demonstrare) apud Græcos vocabatur « modus[10] », quo nec tempus, nec persona, nec numerus declarantur : quod vocabulum Latini alii alia ratione reddiderunt, ut quisque « verbum » παρεμφαίνειν convertebat. Dicit enim Gellius *indefinitum verbum* aut *modum*[11] (*in*- privativum, et *definitum*, ex definiendo, id est explicando, declarando),

1. Diomed., K. IV, p. 340.
2. Sacerd., K. VI, p. 432, 435, etc. ; Victor., *ibid.*, p. 199 ; Donat. K. IV, p. 381 ; Charis., K. I, p. 168 sqq. ; Diomed., *ibid.*, p. 352 ; *Inst. Art.*, K. IV, p. 160 sqq. ; Servius, *ibid.*, p. 411, sed non ap. Priscianum. Cf. ap. Dosith., K. VII, p. 406, συνζευκτικός.
3. Tantum in *Inst. Art.*, K. IV, p. 156, etc.
4. Sacerd., K. VI, p. 432 ; Diomed., p. 340 ; *De Ultim. Syll.*, K. IV, p. 241.
5. Diomed., K. I, p. 338.
6. Egger, *l. c.*, p. 166.
7. K. II, p. 422.
8. Victor., K. VI, p. 199 ; *Explan. in Donat.*, II, K. IV, p. 505.
9. Omnes artigraphi ; jam Varro, *speciem optandi* nominat (X, 31). Cf. supra, p. 103, de Palæmone.
10. Dionys. Thr., p. 47 ; Apollon. Dysc., *De constr.*, passim, præsertim, III, 13.
11. I, 7.

plerique *infinitum*[1] vel *infinitivum*[2] (ex finiendo, eodem sensu quo definire[3]), nonnulli quoque *insignificativum*[4] (a significando, παρεμφαίνειν). Plures vero, cum « infinitum », quasi « sine fine » significaret, prave interpretarentur, synonymum adhibentes, *perpetuum* dixerunt[5] ; pauci denique inde nomen deducentes, quod *personas* is modus non definit, *impersonativum*[6] eum appellaverunt. Neutrum autem vocabulum e græcis traductum esse videtur.

Veteres post Aristarchum grammatici[7] *participium* partem faciebant orationis[8], et hoc in Stoicis reprehendebant, quod « verbis » illi philosophi adnumerare solebant. Qua in contentione nos a Stoicis stamus recentiores. Hi quidem, cum vel πτωτικόν vel μετοχικὸν ῥῆμα, id est verbum vel casuale vel participiale, hunc modum nuncuparent[9], haud inepte quod in participio singulare est exprimebant, id scilicet et verbi modum esse et nominis casus habere, aut, quod latius et verius est, vim ac potestatem habere utriusque. Altera appellatio (μετοχικὸν ῥῆμα) apud grammaticos etiam tum obtinuit, cum participium a verbo diduxerunt : novam enim hanc orationis partem μετοχήν appellaverunt[10]. Quod vocabulum Latinos ad verbum in *participium*[11] transtulisse liquet.

A quibusdam denique modus admittebatur *participialis* vel *participalis*[12], quo verbi formæ continerentur participiis simi-

1. Quintil., I, 6, 6 ; Sacerd., K. VI, p. 432, 435 ; Charis., K. I, p. 169 sqq. ; *Inst. Art.*, K. IV, p. 155, 160 sqq. ; Priscian., K. II, p. 421.
2. Scaur., K. VII, p. 31 ; Victor., *ibid.*, p. 199 ; Donat., K. IV, p. 381 ; Charis., K. I, p. 169 ; Diomed., *ibid.*, p. 340, 347.
3. Cf. supra finitivum et definitivum pro indicativo.
4. Diomed., K. I, p. 340.
5. Sacerdos, K. VI, p. 432 ; Char., K. I, p. 168 ; Diomed., *ibid.*, p. 340, 347, 353 ; *Inst. Art.*, K. IV, p. 155, 160 sqq.
6. Diomed., *l. c.*
7. Lersch, *l. c.*, II, p. 61 sq.
8. Illi tamen, cum verbum conjugarent, in paradigmate quod dicitur participia quoque inscribere solebant. Cf. Dionys. Thr. Ed. Uhlig, p. 131 sq. Item apud Latinos : Sacerd., K. VI, p. 435 sqq. ; Donat., K. IV, p. 360 sqq. ; Char., K. I, p. 169 sqq. ; Diom., p. 352 sqq. ; *Inst. Art.*, K. IV, p. 161 sqq.
9. Priscian., K. II, p. 54.
10. Dion. Thr., p. 60.
11. Jam ap. Varr., VIII, 58. Cf. Verrium, Fest., p. 241 ; Quint., I, 4, 19 ; Scaur., K. VII, p. 25.
12. Diomed., K. I, p. 338, 342, etc.

les, nec tamen participia, ut legendi, legendo, legendum, lectum, lectu : quod quidem nomen, jam apud Varronem [1], sed in loco corrupto deprehenditur, atque a Quintiliano [2] eodem sensu, quo a Diomede pluribusque aliis [3], usurpatur. Illæ vero formæ, ut quæ, cum nullæ similes in græca lingua invenirentur, a Græcis grammaticis non explanatæ nec observatæ essent, Latinis magna negotia adhibuerunt. Plinius enim Secundus eas inter *adverbia qualitatis* posuit [4], Priscianus autem inter *nomina participialia* [5], alii denique inter *verbi modos* [6]. In nomine ceterum non magis consentiunt. Sæpius enim pro « participiali » eadem vocabula usurpantur, quæ apud recentiores obtinuerunt, *supina* [7] scilicet et *gerundia* [8] vel *gerundi modus* [9]. At non, ut apud nos, altero alteræ formæ designantur, supino scilicet lectum et lectu, gerundio legendi, legendo et legendum ; sed omnes alterutro juxta comprehenduntur, nonnunquam etiam ambo simul et eodem sensu dicuntur [10]. Jam vero, quod ad vocabulorum originem pertinet, « supinum » a græco « ὕπτιον [11] » traductum esse apparet, quo Stoici passivum genus designabant, vel quod a participiis passivis supina nascerentur [12], vel quod communem passivi et activi significationem

1. X, 34.
2. I, 4, 29.
3. Participialia, Donat., K. IV, p. 361 ; participialis, Diomed., K. I, p. 352 ; Prisc., K. II, III, passim.
4. Char., K. I, p. 167, 187 (Palæm.), etc. In hoc autem Plinius Græcorum auctoritatem sequitur. Dionys. enim Thr. (p. 85) ἐπιῤῥήματα θετικά nominat ἀναγνωστέον, γραπτέον, πλευστέον. A Græcis præterea adjectivum verbale pro « qualitatis adverbio » habitum fuisse discimus ex Etymol. Magno : « Ἰτέον · ἐπίῤῥημα ποιότητος. » Cf. Neumann, *De Plinii dub. serm. libr.*, etc., p. 34 sq.
5. Præsert., K. II, p. 425 sq.
6. Diomed., K. I, p. 338, 342 ; Serv., K. IV, p. 412.
7. De « amatu, amatum », Sacerd., K. VI, p. 436 ; de « amandi, etc. » Charis., K. I, p. 170 sqq. ; de formis quas supina et gerundia appellamus, Priscian., passim.
8. De « amatu, amatum, amandi, etc. » Sacerd., K. VI, *l. c.*; Prisc., de omnibus, passim.
9. *Gerendi*, Victor., K. VI, p. 199 ; Donat., K. IV, p. 361 ; *gerundi*, Diomed., K. I, p. 352 ; *Inst. Art.*, K. IV, p. 162. Præterea Sacerd., K. VI, *l. c.*, impersonalia (amatum, amatu, amandi, etc.) ; Char., K. I, p. 170, passiva impersonalia (amatum, amatu) ; impersonalis (scribendi, scribendo), Excerpt. Bob., K. I, p. 562.
10. Cf. præsertim, K. III, p. 324, etc.
11. Gellius (XIII, 9), non de grammatico tamen disserens vocabulo : « Quod illi (Græci), ait, ὕπτιος, nos *supinus* (dicimus). »
12. Prisc., K. II, p. 412.

haberent [1]. Ideo autem dicebatur « gerundium », vel « gerundi modus », « quod nos aliquid gerere significat, utputa legendi causa veni, legendo mihi contigit valetudo, legendum mihi erit, lectum venio, nimio lectu fatigatus sum [2]. » « Supinum » quidem vocabulum principem usurpavisse Probum, ex duobus Diomedis locis colligi potest [3] ; sed in libro, qui « Probi Instituta Artium » inscriptus nobis in manibus est, « gerundi modus » tantum deprehenditur [4]. *Usurpativa* denique vel *infinitiva* verba quoque nominabantur [5], quia « usu exerceri quod hoc pacto eloquerentur demonstrarent », aut nec genus nec numerum reciperent [6].

De impersonalibus, cf. infra, p. 118 sq.

Nunc vero commemorabo, quot et quos modos apud præcipuos grammaticos deprehenderim a I sæculo p. Chr. Ante Sacerdotem, excepto Quintiliano, de quo vide supra, p. 103, nullum auctorem de numero modorum habemus. Quintilianus ipse infinitum, participium, verba participialia, fatendique modum tantum nominat, ex quibus infinitus unus inter grammaticorum modos sine dubio collocari potest. Scaurus autem indicativi, infinitivi (participii) mentionem facit.

Sed Sacerdos, de modis generaliter disserens [7], quinque recepit : pronuntiativum vel indicativum vel finitivum, imperativum, optativum, subjunctivum vel adjunctivum vel conjunctivum, infinitum vel perpetuum ; conjugationum paradigmata exponens [8], eosdem nominat : indicativum vel pronuntiat. vel finitum [9], imperativum, optativum, subjunctivum vel conjunctivum, infinitum, quibus addit participia,

1. Cf. Lersch, *l. c.*, II, p. 249.
2. Cf. Cledon., K. V, p. 19.
3. K. I, p. 342, 352. « Hæc *gerundi* sunt apud quosdam, quæ Probus *supina* appellat. »
4. K. IV, p. 156, et passim. Cf. supra, p. 35 sq.
5. Charis., K. I, p. 187. Diomed., *id.*, p. 395 sq. Macrob., K. V, p. 626, 642 : spec. usurp. uterque.
6. Diomed., *l. c.* (cf. supra *mod. infinit.*, p. 106 sq. et infra, p. 119).
7. K. VI, p. 432.
8. Id., p. 435 sqq.
9. Cf. supra finitivum.

impersonalia sive supina (amatu, amatum), impersonalia vel supina vel gerundia (amandi, etc.)[1].

Victorinus[2] : « Modi verborum quot sunt ? Decem. Qui sunt? Indicativus, imperativus, promissivus, optativus, coniunctivus, concessivus, infinitivus, impersonalis, gerendi, hortandi. Addunt quidam percunctativum. »

Donatus de modis disserens[3] et paradigma exponens[4], sex eosdem iisdem vocabulis nominat : indicativum vel pronuntiativum, imperativum, optativum, conjunctivum, infinitivum, impersonalem[5]; in paradigmate præterea participia et gerendi verba vel participialia.

Anonymus apud Charisium[6] septem admittit : indicat., imperat., promissiv., optat., conjunct., perpetuum, impersonalem.

De Diomede, cf. supra, p. 104. In paradigmatibus autem appellat : indicat., imperat., optat., conjunct. vel subjunct., perpet., imperson., participialem vel gerundi, participium[7].

In *Institutis Artium* octo modi in censum vocantur : indicat. vel pronuntiat., promissiv., imperat., infinitus vel perpet., optat., conjunct. vel junct., impersonalis, gerundi; in paradigmatibus præterea participia[8].

Apud Priscianum quinque modi tantum : indicat. vel definitivus, imperat. vel hortat. vel suppositivus, optat. vel deprecat., subjunct. vel dubitat., infinitus. Aliis locis participii et supinorum vel gerundiorum vel participialium fit mentio[9].

---

1. Sic omnes artigraphi in paradigmatibus formas proferunt, quas non inter modos reponunt, sed « ipsa declinatio verborum exposcit » (Diomed., K. I, p. 338); cf. supra, p. 103, n. 4, 104, 107, n. 8.
2. K. VI, p. 199.
3. K. IV, p. 381.
4. *Ibid.*, p. 360 sqq.
5. In paradigmate, impersonale verbum.
6. K. I, p. 168. Cf. supra, p. 98 sq., de loco quem Schottmueller Palæmoni vindicat.
7. K. I, p. 351 sqq. Non sibi consentit in diversis locis Diomedes, quia sine dubio plures fontes commiscet.
8. K. IV, p. 155 sq., generaliter de modis; p. 160 sqq., paradigmata.
9. K. II, III, passim, præsert. K. II, p. 421.

De conjugatione.

Cum ordine omnes cujuslibet verbi formæ enumerantur, fit *conjugatio*; sic enim Latini in suam linguam græcum συζυγία[1] ad verbum converterunt (cf. σύν et *cum*, ζεύγνυμι et *jungo*). Sæpius autem a grammaticis usurpatur *declinatio*[2], et *conjugatio* potius appellatur « collectio quædam verborum[3] » una eademque ratione declinatorum[4]. Eo certe sensu dicitur *prima, secunda, tertia conjugatio*[5], Charisius vero *ordinem* quoque usurpat[6].

De anomalis, cf. supra, *De nomine*, p. 80.

Defectiva autem sunt quæ « non habent aut omnia *tempora*, aut omnes *numeros*, aut omnes *personas*, aut omnes *modos*[7] », quæ scilicet aliqua parte deficiuntur : unde nomen acceperunt, ut apud Græcos ἐλλιπῆ ab ἐλλείπειν (deficere). *Transgressiva* denique nominantur, aut *mixta*[8], aut *neutropassiva*[9] verba, quorum tempora *infecti*, ut ait Varro, activam declinationem recipiunt, et perfecti tempora transgrediuntur in passivorum deponentiumque formam, quæque ita utramque in se *miscentia* declinationem *neutra* simul et *passiva* sunt.

Sunt quoque alia verba *primitiva, primigenia, principalia*[10], *positiva* vel *primæ positionis*, alia *derivata* vel *paragoga*, alia *denominativa*, alia *simplicia*, alia *composita*, alia *decomposita* : quibus de vocabulis cf. supra *De nomine*, p. 75 sqq., 78 sq.

---

1. Dion. Thr., p. 47. 53, etc.
2. Cf. supra, *De casibus*, p. 70.
3. Consent., K. V, p. 380.
4. Cf. *Inst. Art.*, l. c. : *Declinatio primæ conjugationis*, etc.
5. De numero conjugationum dissentiunt grammatici.
6. K. I, p. 168 sqq.; v. *De casibus*, p. 70. Cf. Quintil., I, 4, 29, ordo declinationis.
7. Diomed., K. I, p. 346.
8. *Id.*
9. Serv., K. IV, p. 437; Prisc., K. II, p, 420, etc. Anonymus quidam Græcus grammaticus οὐδετεροπαθητικά appellat *verba* quæ Latini *supina* (ut πάσχω, cf. infra, p. 119). Quod igitur de forma Latini, Græcus ille de sensu dicit. Utrum vero vocabulum *neutropassiva*, an οὐδετεροπαθητικά, prius usurpatum sit, dignosci non potest. (Cf. Bachmann, *Anecd. Græc.*, II, p. 302; Gräfenhan, *l. c.*, III, p. 126.)
10. Gell., XI, 15.

De generibus.

Aristoteles, quamquam *activum* et *passivum* verborum *genus* grammatico sensu et consilio nusquam disjunxisse et enotavisse videtur, tamen, cum hoc discrimen in rebus observaret, ad id adductus est, ut grammaticam prope attingeret, qui τὸ ποιεῖν et τὸ πάσχειν (θερμαίνειν et θερμαίνεσθαι, ψύχειν et ψύχεσθαι) distingueret. Separavit præterea *neutra* etiam ab *activis*, τὸ διακεῖσθαι (ut ὑγιαίνειν) ἀπὸ τοῦ ποιεῖν[1]. Licet enim in his *categoriis* constituendis nullam « verborum » ipsorum rationem habuerit, inde tamen fluxisse « verborum » divisionem in « genera » arbitror. Jam autem ad grammaticam magis pertinebat Stoicorum doctrina, qua quattuor κατηγορημάτων, id est « verborum » aut potius « prædicatorum » discriminabantur species : 1° ὀρθά, quæ indicarent motum sive corporis sive animi transeuntem in aliam sive rem sive personam et obliquum aliquem casum sibi postularent, sicut ἀκούειν, διαλέγεσθαι, ὁρᾶν ; 2° ὕπτια, quæ habitum « passivum » exprimerent, ut ἀκούομαι, ὁρῶμαι ; 3° οὐδέτερα, quæ neque motum transitivum neque passivum habitum demonstrarent, ut φρονεῖν, περιπατεῖν ; 4° ἀντιπεπονθότα, ut κείρεται, in quibus unus et idem ageret et pateretur[2]. Stoici autem, qui dialectico logicoque consilio verba observarent, in iis inter diversa genera distribuendis sensum tantummodo spectabant, non externam quoque formam, ut grammaticos decuisset. Neque hanc potestatem generis significandi peculiari nomine ab illis insignitam esse ullo veterum testimonio indicatur. Cujus quidem appellatio, διάθεσις, quæ postea obtinuit, primum apud Dionysium Thracem deprehenditur et vi ac significatione vere grammatica usurpatur[3]. Quantum enim ex breviore

---

1. *Categ.* 4; *Soph. Elench.*, 4; cf. Classen, *l. c.*, p. 68; Gräfenhan, *l. c.*, I, p. 479.
2. Diog. Laert., VII, 64; R. Schmidt, *l. c.*, p. 62.
3. P. 47 sq.

ejus libelli loco colligi potest, cum διαθέσεις τρεῖς esse dicit, ἐνέργειαν (actionem), πάθος (passionem), μεσότητα (medium), formam non minus quam sensum significat. Nam μεσότητα definit : « quæ modo activum, modo passivum profert (παριστᾶσα) », quod de formis potius dici potest ; deinde exempla ponens activi et passivi apud μεσότητα, ad activum refert πέπηγα, διέφθορα, ad passivum ἐποιησάμην, ἐγραψάμην[1]. Neque alia est doctrina apud Apollonium Dyscolum, qui tres easdem species iisdem fere nominibus dignoscat, ἐνεργητικήν, παθητικήν, μεσήν[2], μεσήν autem ostendat[3] sensu et constructione nunc cum activo, nunc cum passivo congruere : unde concludendum est forma tantum vere differre. Num tamen hic grammaticus alias præterea, sensum potius respiciens, species verborum, ut ἀμεταβάτων et μεταβατικῶν[4], constituerit, testimoniorum penuria cognosci non potest. Duas saltem divisiones, quæ scilicet formis fundatur et quæ sensu, nusquam confudisse et permiscuisse videtur. Latini contra grammatici, cum plerique has notiones inter se non separarent, species et multiplicarunt et implicuerunt.

Quod autem ad ipsum vocabulum διάθεσις pertinet, cum *dispositionem* proprie significet aut morum affectionem[5], id impositum esse judico, vel quia verborum διαθέσεις demonstrarent in quo habitu, patientisne an agentis, etc., res esset aut persona, de qua prædicaretur, vel potius quia, cum verba esse aut *recta* aut *supina* dicerentur, de eorum statu ac dispositione sic eloquendo eadem in metaphora permaneretur. Nomen illud utique ex Stoicorum doctrina emanasse perspicuum est.

Qui vero apud Latinos vocabuli « διαθέσεις » sensum exprimere voluerunt, ii *affectus* usurpant[6]; sed *genera* vel *signifi-*

---

1. Μεσότης δὲ ἡ ποτὲ μὲν ἐνέργειαν, ποτὲ δὲ πάθος παριστᾶσα, οἷον πέπηγα, διέφθορα, ἐποιησάμην. ἐγραψάμην. (*L. c.*)
2. *De construct.*, III, 12.
3. *Id.*, 7.
4. Cf. Priscian., K. II, p. 552.
5. Stephan., *Thes. Græc.*, s. v.
6. Sacerd., K. VI, p. 429; Prisc., K. II, p. 373.

cationes dicere plerique solent[1]. Inde autem ortam esse « genus » appellationem docet Steinthal, quod veteres, nomina et verba conferentes, tres verbis διαθέσεις esse observassent, ut nominibus genera[2]. Diomedes enim : « Ut in nominibus, inquit, sunt genera quibus sexus exploratur, ita quoque sunt in verbo quibus effectus[3] exploratur, utrumne activum sit an passivum[4]. » At Varronem, qui activum et passivum tantum distinxisse videatur, ea jam *genera* nominavisse arbitror. Etenim de analogia verborum disserens[5], « cum partes sint quattuor *tempora, personæ, genera, divisiones*, ex omni parte quoniam reprehendant, se ad singula responsurum » prænuntiat. Atqui cum primum de temporibus (96-101) disputet, deinde de personis (101-103), rursus de temporibus (104), quarto denique loco de divisionibus (108 sq.), tertio genera eum tractare verisimile est; hic autem agit de sacrifico et sacrificor, lavat et lavatur (105-108). Cur ergo, quæ a Græcis διαθέσεις, genera a Latinis nuncupata sint, obscurum est. De *significationibus* notandum est, duplicem huic vocabulo sensum inesse. Nunc enim indicat rem ipsam quæ significatur, quid scilicet appellatione aliqua ostendatur et ad mentem vocetur. Exempli gratia : « Deponens passivam habet declinationem, sed activæ significationis est[6]. » Nunc rursus signum tantum demonstrat, formam scilicet qua quid appellatur et significatur. Exempli gratia : « Sunt nomina, quæ appellantur synonyma, hoc est variis significationibus unam rem designant... Sunt nomina, quæ appellantur homonyma, hoc est quæ significatione eadem varias res designant[7]. » Si primum de activo tantum et passivo vocabulum « signifi-

1. Genus, ap. Quint., I, 4, 27, I, 5, 41, Charis., K. I, p. 164; utrumque vocabulum ap. Donat., K. IV, p. 383, Diomed., K. I, p. 336, Prisc., *l. c.*, etc.
2. *L. c.*, II, p. 296.
3. Christ, *Philol.*, XVIII, p. 134, existimat non dubitandum esse, quin vocabulum « effectus » in « affectus » hoc loco corrigendum sit.
4. *L. c.*
5. IX, 95 sqq.
6. Serg., *Explan.*, K. IV, p. 507.
7. *Inst. Art.*, K. IV, p. 120.

catio » dictum est, utroque sensu pariter adhiberi potuit, et inde ad alia genera extendi. Sin de omnibus usurpatum est, quæ mox recensebo, priore tantum sensu diversas verborum species semper designavit, quibus diversi insunt intellectus. Utra fuerit origo priorque usus, dijudicare nescio. Nunc ad singula *genera* transeamus.

Quæ *verba* Varro *faciendi*[1] Gelliusque *agentia*[2], ea posteriores grammatici, græcum ἐνεργητικά traducentes, *activa* nuncupavere, at *recta* quoque, Stoicorum ὀρθά reddens, Priscianus appellavit[3]. Quæ autem Varro Gelliusque *patiendi*[4], illi, græcum παθητικά in latinum convertentes, *passiva* dixere. Hæc duo genera ab omnibus admittuntur. Prius vero eorum est quæ *-ō* littera terminantur et actum significant; alterum autem eorum quæ *-or* syllaba terminantur et passionem significant. Duobus ergo signis dignosci possunt, sensu scilicet et declinatione. Inde sæpe a grammaticis Latinis nunc *sensus* vel *significatio* vel *vis* activa aut passiva dicitur, nunc activa aut passiva *declinatio* vel *forma* vel *figura* vel *species* vel *vox*. Inter quas præsertim animadvertendæ sunt dictiones, *activa vox, passiva vox*[5], e quibus Galli « *voix active, voix passive* » deduxerimus.

Una hæc duo genera Varro discriminasse et nominasse videtur. Species enim enumerans quæ copula quadam inter se conjunguntur, « faciendi et patiendi ut Uro et Ungo, Uror et Ungor » ponit[6]. Alio autem loco[7] multa esse *contraria* ut Amor Amo, Seco Secor, observat : quod ad activam et passivam vocem attinere liquet. Alia vero addit contraria non habere (Loquor, Venor, Curro, Ambulo), horumque alia terna

1. X, 33; cf. ποιεῖν, apud Arist.
2. XVIII, 12; cf. *genus agens*, Charis., K. I, p. 164.
3. K. II, p. 374.
4. *L. c.* Patiendi declinatio, Nigid. Figul. ap. Gell., XVII, 7; patiendi modus, natura, Quint., I, 6, 26; I, 6, 10. Si Pompeio credere licet (K. V, p. 227), Plinius jam activum et passivum dixit.
5. Cf. Priscian., K. III, p. 158, 276.
6. X, 33.
7. VIII, 58.

participia (Loquor, Venor), alia bina (Curro, Ambulo) efficere. Sed has species nec clarioribus distinctionibus nec peculiaribus nominibus inter se aut ab aliis separat, ut neque deponentium neque neutrorum verborum enucleatam notionem eum habuisse appareat. Neque ultra progressos esse Plinium et Palæmonem arbitror. Pompeius enim [1], postquam rettulit quemadmodum Plinius definiverit activum et passivum : « Qui dicunt, inquit, duas esse significationes, agentis et patientis, tenent se ad illas res quas dixi, id est Plinii Secundi definitionem. » Quoniam autem plura esse genera verborum Pompeius contendit, nonne Plinii auctoritatem prætenderet, si eandem opinionem Plinius defendisset? De Palæmone vero conjicio, ut soleo, ex Quintiliani doctrina. Hic autem figuras grammaticas persequens [2], enotat nos « et, quæ facimus patiendi modo sæpe dicere, ut *arbitror, suspicor*; et contra faciendi, quæ patimur, ut *vapulo* ». Ejus ætate ergo concludendum est grammaticos de generibus verborum nihil amplius cognovisse quam activum passivumque sensum et formam.

Quo tempore et a quibus grammaticis alia genera his duobus addita sint, testimoniorum penuria ne suspici quidem potest. Ceterum de eorum numero apud artigraphos posteriores ipsos ambigitur.

Charisius [3] testatur unus, quosdam passivis et activis *habitiva* tantummodo adjunxisse, quæ scilicet nec actionem nec patientiam, sed habitum [4] significant, ut nascitur, crescit, oritur, etc. At hæc divisio tam bene verbi definitioni, quæ apud Consentium [5] invenitur, respondet, ut non dubitari possit quin ex eodem fonte utraque manaverit. Sed Consentius non intellexit, quam apte, — quod ad sensum pertinet —,

1. K. V, p. 227 sq.
2. IX, 3, 7.
3. K. I, p. 165.
4. Cf. τὸ ἔχειν, ap. Arist. Quæ fuerit origo vocabuli « habitivum » inde liquet.
5. K. V, p. 365. « Verbum est pars orationis factum aliquod habitumve significans, etc..... Factum quod significatur agentis aut patientis vim continet, agentis ut seco uro; patientis, ut secor uror. Cum vero neutrum horum significationi inest, habitus quidam tantummodo demonstratur, ut est sto sapio vivo. »

verba hac definitione dividerentur, et, ut mox videbimus, genera quinque admisit.

« Habitiva » vero Stoicorum οὐδετέροις respondere liquet. Inde credo eis nomen « neutra » impositum esse, et id eo libentius, quod unum quoque e nominum generibus « neutrum » appellabatur. Sed hoc vocabulum illi verborum generi eatenus aptum erat, quoad, respecto sensu, non figura, in tres species tantum verba distribuebantur, eoque designabantur, quæ neque activa neque passiva nuncupari poterant, ut crescit aut nascitur. At « neutrum » de verbis usitatum non invenimus nisi apud posteriores artigraphos, qui quattuor aut plura genera receperunt. De iis ergo abusive dictum est, « quæ *-o* littera terminantur, et accepta *-r* littera latina non sunt [1] ». Forma igitur cum activis congruunt; sensu autem spectato, modo agentem significant (ambulo, curro), modo patientem (ardeo, vapulo), modo neque agentem neque patientem (sedeo, sudo, dormio) [2]. Usus ille tamen usque ad nos obtinuit, et inde factum est, ut sensus ipse « activi » corrumperetur et hoc vocabulum ambigue pro *transitivo* usurparetur.

Quibusdam tantum, testante Charisio, « placuit verborum genera esse quattuor, *agens, patiens, commune, neutrum* [3] ». Ut nomina [4] autem, sic verba nuncupabantur *communia*, « quæ sub una specie genera diversa admittunt [5] », id est, quæ passivam habentia figuram, simul actionem et passionem significant, ut osculor te, et osculor a te, etc. [6]. Quamquam vero apud Anonymum quendam Græcum grammaticum [7] hæc deprehenditur definitio : « Κοῖνον ῥῆμα εἴτε μέσον ἐστὶ τὸ λῆγον εἰς -μαι, καὶ ποτὲ μὲν ἐνέργειαν, ποτὲ δὲ πάθος σημαῖνον », cum tamen, quo tempore ætatem ille duxerit, nesciatur, dubitari

1. Donat., K. IV, p. 383; cf. Diomed., K. I, p. 337; Prisc., K. II, p. 373, etc.
2. Diomed., *l. c.*
3. K. I, p. 164.
4. Cf. supra, *De generibus*, p. 61.
5. Diom., K. I, p. 337.
6. Donat., K. IV, p. 383; Charis., K. I, p. 164; Priscian., K. II, p. 378, etc.
7. Bachmann, *Anecd. Græc.*, II, p. 303; cf. Gräfenhan, I, p. 480, n. 7.

potest, an « genus commune » Græci grammatici non ante Latinos jam separaverint.

Communibus quoque adscribit Gellius [1] verba, quæ terminationem passivam, sed activorum vel neutrorum potestatem habent (utor, hortor, etc.) : quæ « ex altera parte inusitata » dicit. Ea ergo hanc alteram partem deposuisse crediderunt veteres, et inde posteriores artigraphi nuncupaverunt *deponentia* [2], aut eodem sensu *simplicia* [3], id est, unam pro duabus significationibus demonstrantia. Hanc autem speciem plerique receperunt, ut Victorinus [4], Donatus [5], Charisius [6], Diomedes [7], Servius [8], Sergius [9], Consentius [10], Priscianus [11] quinque genera esse (activum, passivum, neutrum, commune, deponens) docerent. Victorinus tamen, Diomedes, Servius ac Sergius, Varronianæ et Plinianæ doctrinæ memoriam retinentes, duas principales significationes discriminant, activum scilicet et passivum, ex quibus aliæ nascuntur quarumque sensum habent. Priscianus vero clarius quinque verborum genera in duas species ex figura separat, quæ scilicet in *-o* (activa, neutralia), et quæ in *-or* (passiva, communia, deponentia) desinunt.

Impersonale genus, id est, verborum quæ nullam personam significant, quinque superioribus a quibusdam adjectum esse dicunt Charisius et Diomedes [12], atque Excerptor Bobiensis [13] : « Genera verborum, inquit, sunt VI, activum passivum neu-

1. XV, 13.
2. Ap. Quintil. (I, 4, 29 ; IX, 3, 7) nullo peculiari nomine « deponens » insignitur. Item ap. Nonium Marcellum (Ed. Quicherat, p. 540) : « AUCUPAVI, activum positum pro passivo. » Cum hæc species a Græcorum lingua aliena sit, eos e « deponente » ἀποθετικόν deduxisse liquet. Cf. Steinthal, *l. c.*, II, p. 296 ; Gräfenhan, *l. c.*, III, p. 126 ; Egger, *Apollon. Dysc.*, p. 15, n. 3.
3. Charis., K. I, p. 165.
4. K. VI, p. 198.
5. K. IV, p. 383.
6. K. I, p. 164.
7. *Ibid.*, p. 336.
8. K. IV, p. 413.
9. *Ibid.*, p. 507.
10. K. V, p. 367.
11. K. II, p. 373 sqq.
12. *L. c.* Cf. Sacerd., infra, p. 119, et n. 12.
13. K. I, p. 561.

trum commune deponens inpersonale. » Hujus speciei Varro jam mentionem fecit, de verbis disserens, « quæ tempora habent sine personis [1] ». Quintilianus quoque commemorat, « quædam tertiæ demum personæ figura dici, ut *licet, piget* [2] » : unde Palæmonem [3] impersonalia discriminasse, necdum nominasse concludendum est. Ne Gellii quidem ætate peculiari vocabulo appellabantur, cum is « veritum, puditum, pigitum, non personaliter per infinitum modum dictum esse » observarit [4]. Sed quoniam hunc Ciceronis locum pro exemplo refert, « quos non *est veritum* in ea voluptate, quæ maxima dulcedine sensum moveret, summum bonum ponere », inde liquet II sæculo impersonalia infinito cuidam modo [5] adscripta esse qui omnes formas complecteretur per quas non definiretur persona [6]. Ea autem a Latinis sine Græcorum auctoritate distincta et posterius denominata esse videntur [7].

Apud Sacerdotem [8] denique et in *Institutis Artium* [9] miscentur generibus « formæ [10] » quæ dicuntur, ut enumerentur octo genera [11] vel novem [12].

Inter *neutra* vero a quibusdam ea appellabantur *supina*, quæ, ut vapulo, ardeo, etc., patientiam demonstrant [13] : ita quidem nomen a Stoicis *passivis* impositum (ὕπτια), sed haud eodem sensu, reddiderunt. *Depositiva* autem, omniane *neutra* a nonnullis denominarentur, an illa solum, « in quibus nec agentis

1. X, 32. Exempla profert : foditurne, etc., vivatur, pugnetur, etc.
2. I, 4, 29.
3. Cf. supra, p. 24.
4. XV, 13.
5. Supra vidimus (p. 110) a multis artigraphis impersonales formas inter modos verbi collocatas esse (cf. Donat., p. 381, etc.).
6. Inde fit sine dubio, ut « impersonalis » vocabulum de gerundiis et supinis quoque usurpatum sit. Cf. Excerpt. Bob., de « scribendi, scribendo, etc. », K. I, p. 562 ; Sacerd. (K. VI, p. 436), de supinis et gerundiis. Charis. (K. I, p. 170 sqq.) passiva impersonalia appellat « amatum, amatu ».
7. Satis erit in nota commemorare, impersonalibus *personalia* a Diomede (K. I, p. 399) opposita esse.
8. K. VI, p. 429.
9. K. IV, p. 156.
10. Cf. infra, p. 120 sqq.
11. *Inst. Art.*, *l. c.* : activum, passivum, deponens, neutrum, commune, inchoativum, defectivum, frequentativum.
12. Sacerd. (*l. c.*) enim addit impersonale.
13. Charis., K. I, p. 165 ; Diomed. (*ibid.*, p. 337) in hac quæstione paulo obscurior est.

nec patientis significatio plene dignoscitur », parum ex loco Diomedis [1], in quo hoc vocabulum deprehenditur, comperi, nec unde hoc nomen deductum esset dijudicavi. *Absolutiva* [2] vel *absoluta* [3] ea credo potuisse dici, quæ nullis casualibus vocabulis ad complendam sententiam egent [4], et inde suam appellationem accepisse. *Neutralia* præterea Priscianus vocavit verba quædam « voce activa, quæ ex se passiva non faciunt [5] », et diversas habent significationes. Alia enim vim habent activam, ut facio te, etc., noceo tibi; alia passivam, ut vapulo a te, fio a te, etc. *Reciproca* idem appellavit, quæ Stoici ἀντιπεπονθότα, aliique αὐτοπαθῆ vel ἰδιοπαθῆ [6], in quibus « ex se in se ipsa fit intrinsecus passio, ut rubeo, ferveo, etc. ». *Ambigua* denique a Diomede [7] dicuntur, « quæ -*o* littera terminata, et activa esse possunt et neutralia pro significatione dicentis, ut ludo. » Tria hæc nomina cur imposita sint, per se liquet.

De formis verborum.

« Qualitas verborum, ait Donatus [8], in *modis* est et in *formis*..., quas *formas* alii verborum generibus vel significationibus admiscent. » Hæc autem divisio tota latina est [9]. Per eam diversas in species verba distribuuntur, quæ, aliis litteris aut syllabis interioribus ante terminationes additis, alium sensum exprimunt. Idcirco forsitan nomen « formas » acceperint, quod formæ cuique suus sensus inhærere videretur. Quæque autem species ex sua significatione appellationem habuit. Jam sunt *meditativa* in -*urio* desinentia, quæ non actum, sed

1. *L. c.*
2. Id.
3. Priscian., K. III, p. 375.
4. Congruunt ergo cum *intransitivis* (p. 121).
5. K. II, p. 376. A nonnullis « neutra » quoque hoc nomine insigniuntur. Cf. Diomed., K. I, p. 346.
6. Priscian., K. II, p. 378; K, III, p. 270, etc. Cf. Gräfenhan, *l. c.*, III, p. 126.
7. *L. c.*, p. 346.
8. K. IV, p. 381.
9. Macrob., K. V, p. 625, « licet meditativam etiam Græci habere putantur. »

apparatum actus et meditationem ostendunt; *inchoativa* in -*sco*, quæ rem modo inchoatam et futuram significant; *frequentativa* [1] vel *iterativa* in -*to* aut -*so*, quæ rem frequenter agi et iterari demonstrant : hæc Varro dignovit, sed non peculiari nomine appellavit [2]. Illis autem universis opponuntur *perfecta* vel *absoluta*, quæ nulla propria forma insigniuntur, et rem perfectam absolutamque (ut *lego*, etc.) testantur. Eas, quascumque enumeravi, formas omnes admittunt posteriores grammatici. Addunt autem quidam *deminutiva* [3] vel *quasi deminutiva* in -*lo* desinentia, quæ *frequentativis* quoque subjiciuntur [4], et actus vim deminutam exprimunt. Apud Priscianum denique solum *desiderativa* repperi in -*so* (*viso*, etc.) terminata, quæ aliquid *desiderari* significant [5].

Præterea Priscianus alio modo, spectata scilicet constructione, verba in duo genera dividit : alterum quidem est eorum « quæ ab alia ad aliam transeunt personam, in quibus solent obliqui casus adjungi verbis »; alterum eorum, quæ sine casus conjunctione per se usurpantur. Priora vero græce μεταβατικά, latine *transitiva* (cf. μεταβαίνω et *transeo*) dicuntur; posteriora græce ἀμετάβατα vel αὐτοτελῆ, latine *intransitiva* vel *absoluta* [6] : quæ vocabula explicare non opus est.

Idem postremo de constructione quoque disserens, et quibus verbis qui casus adjungantur considerans, multas verborum species sensu discriminatas enumerat, quibus nomen ex eo sensu deductum imposuisse ipse apud Latinos videtur; num vero in his divisionibus constituendis et nuncupandis Græcos, ut solet, imitatus sit, ideo investigare supersedeo, quia apud nullum alium Latinum grammaticum inveniuntur, nullumque eorum nominum apud recentiores exstat vesti-

1. Jam ap. Gell., IX, 6.
2. « Quæ sæpius quid fieri ostendunt » (VIII, 60). « A semel et sæpius, ut scribo, lego; scriptitavi, lectitavi » (X, 33).
3. Diomed., K. I, p. 345; Pomp., K. V, p. 220; Prisc., K. II, p. 431.
4. Cf. Consent., K. V, p. 376.
5. K. II, p. 431. Apud Augustinum autem (K. V, p. 516) *desiderativa* eadem sunt atque *meditativa*.
6. Prisc., K. II, p. 552; cf. supra de *absolutis*, p. 120.

gium : quare parvi momenti ea esse arbitror. Hæc tamen, ne quid omittam, cursim percensebo, græca vocabula quibus latina respondent, interponens, si qua ipse rettulit Priscianus.

Sunt igitur *adorativa* (verba) ut adoro, adulor; *adquisitiva*, ut do tibi, laboro, etc. (περιποιητικά)[1]; *æquiperantia* vel *æquiparativa* (ἰσοπαλῆ), ut luctor, sermocinor, invideo[2]; *subjecta*, ut servio, obœdio[3]; *supereminentia* vel *superposita* (ἐπαναβεβηκότα), ut impero, regno, suadeo, etc.[4]; *artificiorum*, ut philosophor, poetor[5], etc.; *deceptiva*, ut fallo, illicio[6]; *desiderativa* vel *inquisitiva*, ut quæro, invenio, desidero, sequor[7]; *funebria*, ut lugeo, queror[8]; *hortativa*, ut excito, hortor[9]; *interrogativa*, ut interrogo, consulo[10]; *laudativa* et *vituperativa*, ut cano, laudo, vitupero[11]; *per obtinentiam* (κατ' ἐπικράτειαν), ut habeo, teneo, custodio, defendo, vinco[12]; *præceptiva* (παραινετικά), ut jubeo[13]; *precativa*, ut oro[14]; *ad sensum pertinentia*, ut audio, tango[15]; *separativa* sive *discretiva*, ut averto, pello[16]; *substantivum* verbum (ὑπαρκτικόν), id est *sum*, quod nomen apud nos obtinuit[17]; *suspectiva* vel *opinativa*, ut suspicor, existimo[18]; *vocativa*, ut voco, imploro, nuncupo[19]; *voluntativa* (προαιρετικά) vel *affectiva*, ut volo, cupio[20].

---

1. K. III, p. 272.
2. *Id.*, p. 274.
3. *Id.*
4. *Id.*, p. 273.
5. *Id.*, p. 272.
6. *Id.*
7. *Id.*, p. 274.
8. *Id.*, p. 275.
9. *Id.*, p. 276.
10. *Id.*, p. 275.
11. *Id.*, p. 278.
12. *Id.*, p. 274.
13. *Id.*, p. 227.
14. *Id.*, p. 276.
15. K. II, p. 277.
16. *Id.*
17. Passim.
18. K. II, p. 274.
19. *Id.*, p. 276.
20. *Id.*, p. 224.

De ceteris orationis partibus.

Hactenus de *nomine* ac *verbo*. Ceteras autem orationis partes primum non discriminatas esse, sed omnes pariter appendices tantum et quasi copulas habitas[1], jam antea ostendi[2]. Quas cum duobus nominibus appellarit Aristoteles, συνδέσμους scilicet et ἄρθρα, utrum jam in duo genera ipse dispertiverit, an universas promiscue duobus his synonymis vocabulis æque designatas complexus sit, loco in quo definiuntur[3] corrupto, dijudicare nobis non licet. Theodectes certe, Aristotelis fere æqualis, tres tantum partes distinxit, nomina scilicet, verba et *conjunctiones* (συνδέσμους)[4]. Stoicos deinde a conjunctionibus τὰ ἄρθρα (= articulos) sejunxisse, et eo nomine non solum articulos quos proprie nunc dicimus, verum etiam pronomina, ne personalibus quidem exceptis, insignisse, apud omnes auctores constat. Cur autem συνδέσμους et ἄρθρα secreverint atque his potissimum nominibus utraque nuncupaverint, quamquam de ea quæstione nullum ex veteribus testimonium nobis traditum est, causam conjecturare possumus. Ea enim quæ συνδέσμους appellarunt vocabula, præpositiones scilicet et conjunctiones, re vera vinculo quodam plura inter se verba ad unam sententiam exprimendam conjungere solent. Quæ contra ἄρθρα vocarunt, singula verba significatione finita aut etiam indefinita circumscribunt, et, ut in animalium corpore articuli membra quidem non dissociant, sed quibusdam quasi finibus distinguunt, sic in oratione non dividunt sententiam, sed certas ejus partes separatim illustrant et in medio ponunt. Alexandrini critici, princepsque Zenodotus, ut Lersch opinatur[5], ab articulis pronomina

---

1. *Syncategoremata*, hoc est *consignificantia*, apud Dialecticos; cf. Priscian., K. II, p. 54.
2. Cf. p. 74, 91 sq.
3. *Poet.*, c. 20.
4. Quintil., I, 4, 18; Dionys. Halicarn., *De composit. verborum*, c. 2.
5. *L. c.*, II, p. 57.

quæ dicimus (personalia tantum verisimile est) discriminaverunt, atque ea ἀντωνυμίας appellata deprehendimus in libello, qui nobis cum nomine Dionysii Thracis in manibus est[1].

De articulo.

Varro non multum a Stoicorum placitis discessisse videtur[2], cum « *partes appellandi* » enumerans definiensque ut « a quibusdam » constituerentur atque appellarentur, inter eas posuit « *provocabula*, ut Quis, Quæ, et *pronomina*, ut Hic, Hæc », amboque hæc genera uno eodemque nomine *articulos* nuncupari dixit[3] : ita in articulis duo esse genera, *finitum* et *infinitum*[4]. Hi ceterum loci obscuriores sunt, quam ut, quid Varro senserit ipse, intellegi possit. Apud eum certe « articulum » vocabulum invenimus, ad verbum a græco ἄρθρον translatum. Idem quoque postea, cum de græca lingua agunt, Latini sæpe usurpant grammatici. Quin immo Plinius Secundus « *hic* tunc voluit dici pronomen, quando solum reperitur declinari, ... at vero si cum alia parte orationis inveniatur declinari, articulum appellari, utputa hic Cato huius Catonis et cetera sequentia[5]. » Item Donatus[6] ejusque commentatores, Sergius[7], Servius[8], etc., « hic » articulum nuncupant, Priscianus vero[9], nonnullique alii[10] *articulare pronomen*.

1. Dubitatur autem num hic locus vere Dionysii sit. At liquet pronomen sive ἀντωνυμίαν sive ἀντώνυμον (cf. Apollon. Dysc., Ed. Schneid., *De pronom.*, p. 4) a Græcis nominatum fuisse ante Varronis ætatem, id est cum Dionysius vivebat, et Romæ grammaticam docebat.
2. Cf. supra, p. 13.
3. VIII, 45.
4. X, 20 ; cf. Apoll. Dysc., *De pronom.*, p. 5 : « Οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς ἄρθρα καλοῦσι καὶ τὰς ἀντωνυμίας, διαφέροντα δὲ τῶν παρ' ἡμῖν ἄρθρων, ᾗ ταῦτα μὲν ὡρισμένα, ἐκεῖνα δὲ ἀοριστώδη. » Priscian., K. II, p. 54 : « Articulis pronomina connumerantes finitos ea articulos appellabant (Stoici), ipsos autem articulos, quibus nos caremus, infinitos articulos dicebant. »
5. *Inst. Art.*, K. IV, p. 133.
6. K. IV, p. 381.
7. K. IV, p. 538.
8. « Nos articulo penitus non caremus, sed in pronomine computamus » (K. IV, p. 428).
9. Cf. K. II, p. 581 sq., 54 : « Articulos connumerabant (Stoici) pronominibus, et articularia eos pronomina vocabant, in quo illos adhuc sequimur Latini, quamvis integros in nostra non invenimus articulos lingua. »
10. Diomed., K. I, p. 331 ; Servius, K. IV, p. 410.

De pronomine.

Egger, summæ vir auctoritatis, Romanos, cum ex græco « ἀντωνυμία » ad verbum *pronomen* (cf. *pro* et ἀντί, *nomen* et ὄνομα, unde ortum est -ωνυμία) deduxerint, quid Græci eo vocabulo significare vellent, prave intellexisse judicat[1]. Crediderunt enim inde ἀντωνυμίαν appellationem pronomen accepisse, quod pro nomine, id est ἀντὶ ὀνόματος, poneretur. At, quamquam re vera hoc usu pronomina usurpantur, ideo tamen arbitratur Egger ἀντωνυμίας ea nuncupata esse, quia cum, « personalibus » tantum eo vocabulo primum designatis, « personæ » spectarentur et actoribus qui in scena adversi starent compararentur, nomina viderentur opposita et inter se respondentia[2] ; inde ea Aristarchum dixisse λέξεις κατὰ πρόσωπα συζύγους ; in ἀντωνυμία autem ἀντι- non esse quod *pro*, sed quod *adversus*, et oppositionem comparationemque significare, ut in ἀντίθεος, ἀντίπαλος, etc. At notandum est Romanos in eo si erraverint, ut Græcos ipsos grammaticos erravisse. Definitur enim in Dionysii Thracis libello ἀντωνυμία, λέξις ἀντὶ ὀνόματος παραλαμβανομένη[3]. Mihi præterea videtur, quod liceat fateri, in interpretatione doctissimi illius viri nescio quid esse subtilius et obscurius, neque ullum proferri argumentum, cur non ex hac simplicissima notione, *pronomen* scilicet pro nomine plerumque poni, ἀντωνυμία apud Græcos appellationem ducere potuerit. Itaque et id apud illos apte nominatum, et græcum vocabulum recte a Latinis traductum esse censeo.

Cum vero *provocabula* et *pronomina* Varro distinxerit, priora pro vocabulis esse (id est appellativis), altera pro nominibus (id est propriis) eum putavisse, quamvis verisimile sit,

1. *Annuaire Soc. Étud. gr.*, 1877, p. 140 sq.
2. « En réalité, les ἀντωνυμίαι sont des *noms qui se correspondent*, comme se font vis-à-vis les personnages qu'ils représentent.... Ainsi ἐγώ et σύ, ἡμεῖς et ὑμεῖς se correspondent et *se conjuguent* deux à deux. »
3. Cf. Apoll. Dyscol., *De pronom.*, Ed. Schneider, p. 9 : « Ἄμεινον οὖν...... τὸ δὲ καλεῖν ἀντωνυμίαν, ὅτι ἀντ' ὀνόματος τίθεται. »

affirmari tamen non potest, quia, quæ fuerint duo illa genera, neque apud Varronem ipsum aut apud quemquam alium definitur, neque exemplis quæ supposuit plane satis declaratur.

Jam quas species *pronominum* admiserint et quo nomine designarint ceteri grammatici, videamus. De *primitivis* vero vel *principalibus* et de *derivativis,* de *simplicibus* et de *compositis,* vide supra (cf. indicem vocabulorum); item de *personis.*

Priscianus, Apollonii Dyscoli doctrinæ [1], ut solet, obsecutus, quæ nunc nuncupamus *personalia* et *possessiva* pronominibus sola adscribit ; illa vero *primitiva* vel *simplicia* [2] (cf. πρωτότυποι, ἁπλαί [3]), hæc nunc *possessiva* [4] (κτητικαί [5]), nunc *derivativa* [6] (παραγωγοί [7]) appellat. Ceteri autem grammatici alii [8] in duas, alii in tres, alii in quattuor species pronomina dividenda judicant. Qui in duas [9], *finita* tantum, id est quæ personas recipiunt, et *infinita,* id est quæ personas non significant, distinguunt ; qui in tres [10], ab infinitis separant *minusquamfinita,* id est « quæ certis et incertis personis aptari possunt [11] » et « commemorationem habent notarum personarum [12] », ut ipse, iste, is, hic, idem, sui ; qui in quattuor, *possessiva* in peculiari specie reponunt [13]. Quod ad nomina illorum generum pertinet, primitiva, simplicia, possessiva, derivativa, jam supra explicavi [14] ; « finita » et « infinita » ad

1. Quæ et Dionysii Thracis est (cf. Ed. Uhlig, p. 65 sqq.), ut Priscianus Dionysii vestigiis fidelius institerit, quam IV et V sæculi artigraphi.
2. Prisc., K. II, p. 577, etc. *Positiva,* K. III, p. 141.
3. Apoll. Dysc., *l. c.,* p. 17, 21, etc. ; cf. πρωτότυπ. ap. Dionys. Thr., p. 65, 68, etc.
4. K. II, p. 581, etc.
5. Apoll. Dysc., *l. c.;* Dion. Thr.. *l. c.*
6. K. II, p. 577, etc.
7. Dion. Thr., *l. c.*
8. Non Dionysium Thracem, ut solent, sequuntur, neque suspici potest, quo tempore et a quo grammatico primum ab eo discessum sit (cf. tamen de Plinio sequentem notam). Quocirca in hoc de pronominibus capite nullam temporum rationem habebo.
9. Cf. Charis., K. I, p. 157 ; Plin. ap. Cledon., K. V, p. 49 sq. ; Donat., K. IV, p. 357 ; Serv., *ibid.,* p. 435.
10. Diomed., K. I, p. 329.
11. Diomed., *l. c.*
12. Serv., K. IV, p. 410.
13. *Inst. Art., ibid.,* p. 131. Servius autem (*l. c.*) pronomina in duas species dividit, finita scilicet et infinita ; sed infinita rursus in generaliter infinita, minusquamfinita, articularia vel demonstrativa, possessiva distribuit.
14. Cf. indicem vocabulorum.

verbum e græco traducta sunt : Stoici enim pronomina (αρθρα) in ὡρισμένα (finita) et ἀόριστα (infinita) distribuerunt. « Minusquamfinita » Latinis proprium esse et ad exemplar « Plusquamperfecti » et « Minusquamperfecti » fictum arbitror. Quæ vero nunc *personalia* nuncupamus, ea aliquo nomine, id per se proprie significante quod personas recipiunt ac notant, a plerisque nequaquam designata esse observandum est, sed vel *primitiva* vel *finita* appellata. « Personalia » in libro *De ultimis syllabis* inscripto [1] tantummodo reperimus [2], *personativa* autem apud Cledonium [3]. Hæc vero vocabula nulli græco respondere credo.

Cum Apollonius pronomina distinxisset ἐγκλιτικά (*inclinativa*) et ὀρθοτονούμενα (*recti accentus*) [4], prioraque per se dici, posteriora vero ad aliquid referri enotasset, et altera ἀπολύτους, altera πρός τι nuncupasset [5], Priscianus quoque, licet hæ notiones a latina lingua alienæ essent, de *absolutis* et *discretivis* pronominibus disseruit [6]. « Absoluta » autem, quod vocabulum et de finitis pronominibus apud Diomedem deprehenditur [7], ex « ἀπόλυτοι » ad verbum translatum esse liquet ; et « discretiva » sive ex gr. « διασταλτικαί [8] », sive ex « discretione » deductum esse opinor ; *discretionem* vero non aliud esse quam græcum « διαστολή [9] ».

᾽Αντανακλώμεναι [10] vel ἀντανάκλασται [11] vel ἀντανακλαστικαί [12] appellabantur apud Græcos ἀντωνυμίαι, per quas significatur eandem personam in sese vel in suam possessionem aliquid facere (lat. sui, suus) : quæ vocabula ab « ἀντανακλάω »

1. Cf. supra, p. 36.
2. K. IV., p. 232.
3. K. V, p. 15.
4. Cf. Prisc., K. III, p. 141.
5. Cf. *De pronom.,* p. 36 sqq.
6. K. III, p. 14, etc. Discretivum est « egomet » = ego et non alius, « me » in « vidit me, illum autem non », etc.
7. K. I, p. 329.
8. Vel ἀντιδιασταλτικαί ; cf. Apoll. Dysc., *l. c.,* p. 24, etc.
9. Cf. Apoll. Dysc., *l. c.*
10. Apoll. Dysc., *De pronom.,* p. 67.
11. Priscian., K. III, p. 14.
12. Stephan., *Thes. Græc.,* s. v.

oriuntur, id est « refringo » eo sensu, quo dicitur radios solis *refringi*, etc. Ea autem reddidit Priscianus sive per *reciprocum*[1], quo significatio pronominis « *sui* » apte exprimitur, sive per *refractivum*[2], quo ad verbum transfertur græca appellatio. Dicit quoque *retransitivum*[3] esse pronomen « sui, sibi, se » in hujusmodi constructionibus : « hortatur me ille ut sui potiar; rogat Turnus Aenean ut sibi parcat, etc.[4] » : hoc autem nomen cur et quomodo fictum sit, apparet. Tum « ipse » nunc *commune* (κοινή[5]) pronomen vocat, quia tribus adjungitur personis[6], nunc *additivum* vel *appositivum*[7] vel *impositivum* vel *subjunctivum*[8], quod aliis pronominibus aut nominibus apponitur, ut « ego ipse », etc. Quattuor autem hæc vocabula respondent uni « ἐπιταγματική », quo « αὐτόν » Aristarchum insignivisse Apollonius testatur[9]. *Additivum* autem præsertimque *appositivum* et sensum et formam græci vocabuli aptissime reddunt. *Subjunctivum* vero et *impositivum* cur Priscianus finxerit, his verbis explanatur, quibus locum Apollonii[10] expresse refert : «'Επιταγματικόν.... vocant Græci, quod vel subjungit vel subjungitur alteri pronomini[11]. »

De *possessivis* adnotari satis erit, in quattuor species ea plerumque dividi : 1° quæ utraque parte singularia sunt (persona possidentis et possessi una est, ut meus, tuus) ; 2° quæ utraque pluralia (multi sunt qui possidentur, et multi qui possident, ut nostri, etc.) ; 3° quæ intrinsecus singularia, extrinsecus pluralia (ut mei, etc.) ; 4° quæ intrinsecus pluralia, extrinsecus singularia (ut noster, etc.). *Intrinsecus* autem di-

1. K. III, p. 14.
2. K. III, p. 176.
3. K. III, p. 17.
4. K. III, p. 168, 176.
5. Apoll. Dysc., *l. c.*, p. 63.
6. K. III, p. 579.
7. K. III, p. 179.
8. K. II, p. 580.
9. Apoll. Dysc., *l. c.*, p. 62.
10. Apoll. Dysc., *l. c.*, p. 116.
11. *L. c.*

citur quod pertinet ad personam possidentis, *extrinsecus*, quod pertinet ad personam possessi[1].

De *demonstrativis*[2] (δεικτικαί[3]) et *relativis*[4] (ad verbum ἀναφορικαί[5], cf. *re-* et ἀνα-, -φορικαί a φέρω ut *-lativa* a *ferendo*) in primis observandum est, a veteribus grammaticis ea non eodem sensu, quo a nostris, esse appellata. *Demonstrativa* enim apud illos omnia sunt per quæ præsens aliquid quasi digito demonstratur ; *relativa* autem, per quæ absens aliquid refertur et commemoratur. Itaque et eadem pronomina modo esse demonstrativa, modo esse relativa possunt, si tum de præsentibus, tum de absentibus dicuntur (ut talis, tantus, tot)[6], et personalia ipsa sunt alia semper demonstrativa (primæ et secundæ personæ, et hic, iste), alia semper relativa (is, sui), alia modo demonstrativa, modo relativa (ut ille, ipse)[7]. Inde in eadem specie quædam reponuntur, quæ recentiores diligenter secernimus, ut *is* et *qui* (ambo relativa)[8].

Alia autem spectata qualitate, quæ nunc *demonstrativa* et *relativa* appellamus pronomina, ea *præpositiva* et *subjunctiva* dicuntur : quæ vocabula respondere apparet græcis προτακτικόν et ὑποτακτικόν[9]. Sed hæc a Græcis usurpantur de articulis, ut ab illo quem nos *pronomen relativum* vel *conjunctivum*, ὅς, vocamus[10], diducatur qui nunc unus habetur articulus, ὁ[11]. Apud Latinos autem *præpositiva* sunt pronomina, quæ in exprimenda sententia sine ulla antecedente dictione per se intellegi possunt (quis, hic, etc.), aut in comparatione solent

1. Plin. in *Inst. Art.*, K. IV, p. 137. Cf. Diomed., K. I, p. 329; Serv., K. IV, p. 410, etc.
2. Cf. Donat., K. IV, p. 380; Diomed., K. I, p. 330; Serv., K. IV, p. 410.
3. Dion. Thr., p. 40. Inter nomina a Dionys. et Priscian. numerantur.
4. Donat., Diomed., *l. c.*
5. Dionys. Thr., *l. c.;* Apoll. Dysc., *De conj.*, Ed. Schneid., p. 235.
6. Cf. Prisc., K. III, p. 22.
7. Prisc., K. II, p. 578.
8. Pleraque *relativa*, omniaque *infinita* et *interrogativa*, de quibus mox mentio fiet, a Prisciano, ut a Dionysio Thrace et Apollonio Dyscolo, non *pronominibus*, sed *nominibus* adscripta sunt; at Priscianus (K. II, p. 61) : « Vetustiores inquit, apud ipsos (id est Græcos) quoque pronomina vel articulos ea putaverunt, quos grammatici Latinorum similiter sunt secuti. » Etenim cf. Donat., K. IV, p. 379 sq.; Charis., K. I, p. 158 sq.; Diomed., *ibid.*, p. 329 sqq.; Serv., K. IV, p. 410, etc.
9. Dion. Thr., p. 61. V. supra, p. 51, *de vocalibus;* cf. p. 55.
10. Ὅς est ὑποτακτικόν = *subjunctivum*.
11. Ὁ est προτακτικόν = *præpositivum*.

rei conjungi, ad quam altera res refertur, quæque propterea huic in mente quasi præponitur (quantus, qualis, etc.); *subjunctiva* rursus, quæ, nisi quid antecedat aut in oratione aut in mente, nihil significent (is, idem, tantus, etc.)[1].

« Talis » tamen, « tantus, tot » *similitudinis* (ὁμοιωματικόν[2]) quoque appellantur et *redditiva*[3] (ἀνταποδοτικόν[4], ex ἀνταποδίδωμι, reddo), quod per ea et similitudo exprimitur, et, præposita per « qualis, quantus, quot » aliqua notione aut interrogatione, redditur simile aliquid et respondetur. Apud Priscianum etiam pro *redditivis antecedentia* invenimus[5], quod vocabulum idcirco animadvertendum est, quia ex eo Galli *antécédent* deduximus.

Quædam tandem sunt *interrogativa*, ut quis, etc. (ἐρωτηματικόν, πευστικόν[6]), quæ et pleraque *infinita*[7] (ἀόριστον[8]), vel *infinitiva*[9].

Appellantur denique apud quosdam[10], alia *gentis* (cujas, nostras), alia *ordinis* (quotus, totus), alia *numeri* (quot, tot), alia *ad aliquid finita* (meus, tuus, etc.), alia *ad aliquid infinita* (cujus, cuja, cujum), alia *quantitatis* (ποσότητος, quantus), alia *qualitatis* (ποιότητος, qualis); apud Asprum unum deprehendimus *responsiva* (hic, iste), *segregativa* (quisque, uterque), *privativa* (nequis, neuter, etc.)[11]. De omnibus illis vocabulis, quæ quid significent et quomodo ficta sint, per se liquet, cf. indicem vocabulorum et conclusionem. Hoc tantum est adnotandum *ad aliquid finita*, et *ad aliquid infinita* nominum *ad aliquid dictorum* exemplo appellata esse.

---

1. Cf. Donat., K. IV, p. 379; Charis., K. I, p. 163; Diomed., K. I, p. 329; Priscian., K. III, p. 500.
2. Dion. Thr., p. 40.
3. Prisc., K. II, p. 61; K. III, p. 132, etc.
4. Dion. Thr., *l. c.*
5. K. III, p. 128.
6. Dion. Thr., p. 39.
7. Cf. ap. Varron., *infinitus articulus*, de « quis ».
8. Dion. Thr., *l. c.*
9. Charis., K. I, p. 158; *id.*, infinita, p. 162.
10. Donat., K. IV, p. 379 sq.; Diomed., K. I, p. 329; cf. Aspr., K. V, p. 550; cf. supra, p. 24 sq.
11. *L. c.*

De adverbio.

Adverbia inter nominum casus ab Aristotele ponebantur[1]. Stoici vero ea « nominibus vel verbis connumerabant, et quasi adjectiva verborum nominabant[2] ». A quo ceterum et quando ab aliis partibus orationis distincta sint, incertum est. Apud Dionysium Thracem ἐπιῤῥήματα nuncupantur[3], quod vocabulum significat « adjectiva (ἐπι-) verborum (ῥήματα) », et propterea aut a Stoicis ipsis fictum esse, aut certe si, ut Classen opinatur[4], ῥηματικὰ ἐπιθετά illi philosophi *adverbia* appellabant, ex hac longiore dictione brevitatis causa esse deductum apparet. Ἐπίῤῥημα autem Latini verbum pro verbo in *adverbium* (ad- = ἐπι-) transtulerunt.

Varro adverbia a ceteris partibus orationis discriminasse in eo loco videtur, quo « adminiculandi vocabula » appellat « docte et commode[5] ». Atque « adverbium » usurpavit, si recte creditur[6] ea ex ejus libro « de grammatica » exscripta esse, quæ ad calcem opusculi « Q. Terentii Scauri liber de orthographia » inscripti leguntur[7]. Sed ex his ipsis perspicuum est illum non eodem sensu id vocabulum usurpavisse, quo posteriores artium scriptores. Apud Nonium Marcellum autem[8] Nigidius adverbia « expulsim, cursim » nominat, et inde temporis hoc vocabulum in usu fuisse verisimile est[9]. Attamen

---

1. *Top.*, IV, 4; cf. Steinthal, *l. c.*, I, p. 266 sq.
2. Priscian., K. II, p. 54.
3. Dion. Thr., p. 72.
4. *L. c.*, p. 76.
5. VIII, 44. Cf. tamen infra, p. 136.
6. Cf. Wilmanns, p. 112 sqq.
7. Per C « cum » adverbium erit temporis.... Varro adverbia localia quattuor esse dicit: ex, in, ad, ab, etc. K. VII, p. 28 sq.
8. Ed. Quicherat, p. 107.
9. Cf. Paulum, p. 27, 99, 100; vide tamen Festum, p. 258, et Paulum, p. 259, sub *Quando*. Paulus sic : « Quando quum gravi voce pronuntiatur, significat quod, quoniam, et est coniunctio; quando acuto accentu, est temporis adverbium. » Ut est spatium quod ambustum esse in codice Festi apparet, non licet tot verba Festo vindicare, quot Paulus scripsit; unde conjectura Muelleri : « *Quando cum gravi voce pronuntiatur,* significat *quod : acuta est temporis adverbium,* ut Plautus, etc. » Festus igitur vocabulum « conjunctio » usurpavisse non videtur, nullaque fides

ex Julii Romani testimonio[1] cognoscimus, postea disputatum esse nonne *præverbium* dici deberet et a Suetonio Tranquillo[2] hanc disputationem ortam esse. « Suetonius etenim Tranquillus præverbium putat dici debere, quod ante, vel adverbium, quod post verbum, appellationem etiam nomenque ponatur[3]. » « Adverbium » autem obtinuit. Observandum tamen est non tam apte hanc creatam esse appellationem, qua quasi verbo uni nec pariter adjectivo ipsique adverbio conjungi et sensus aliquid addere possit adverbium, significatur. Hoc profecto vitium a nullo antiquo grammatico notatum esse, mirandum est.

« Adverbio, ait Donatus, accidunt tria, significatio, comparatio, figura[4] », quibus adjici potest species[5]. De comparatione, cf. supra « De adjectivis » ; de figura, cf. supra « simplicia, composita, decomposita nomina » ; de specie, cf. supra « primitiva, derivativa, denominativa nomina ».

« Significationes innumerabiles sunt ; in artibus autem diversæ sunt positæ : nam alii septem posuerunt, alii novem, alii viginti.... Quot sunt significationes, tot sunt nomina : nam nomina de significationibus oriuntur[6]. » Pleraque autem hæc nomina non proprie grammaticæ sunt, aut de aliis quoque orationis partibus usurpantur. Ea ergo percensere ad meum propositum parvi refert, nec tamen omnino omitti debent, ne quid huic operi deficiat.

Sed hoc adnotandum est, Palæmonem ceterosque grammaticos usque ad Priscianum has significationes expressisse per

---

Paulo tribuenda est. Immo dubitari quoque potest num Festus Verriusque « adverbium » potius quam « conjunctio » dixerint (cf. supra, p. 18). Adverbium autem a Palæmone (Charis., K. I, p. 186 sqq. ; Quintil., I, 4, 19), Vel. Long. (K. VII, p. 70) ; Scaur. (*ibid.*, p. 12), etc., nominatur.

1. Ap. Char., K. I, p. 194.
2. Initio II sæculi p. Chr. librum « De rebus variis » composuit Suetonius. Cf. O. Frœhde, *De C. Julio Romano*, etc., p. 632 sq.
3. In libello « Cornelii Frontonis de differentiis » inscripto legitur : « Præverbium et adverbium : præverbium est euphonon ; adverbium et vitiosum et fictum (?) est, tamen in usum est receptum (K. VII, p. 525).
4. K. IV, p. 386.
5. Priscian., K. III, p. 63.
6. Serg., K. IV, p. 509 sq.

nomina appellativa aut gerundia aut participia[1], exceptis paucis vocabulis, quæ de aliis partibus orationis jam dicebantur. Ut Palæmon[2] dicit : qualitatis, quantitatis[3], negandi, affirmandi, etc., sed personalia ; Romanus[4] : loci[5], negandi, etc., sed personalis, causalis ; Sacerdos[6] : loci, negandi, dubitantis, etc., sed personalis. Cominianus autem[7] nomina appellativa tantummodo exhibet : tempus, locum, qualitatem, etc., significantia ; at non adverbia in censum vocat, quæ alii personalia, causalia appellant. In *Institutis Artium*[8] participia pleraque deprehenduntur : negantis, adnuentis, etc., sed personalis ; apud Charisium, localia[9], personative, vocative, et communicative[10]. Diomedes denique, quæ ceteri temporis[11], unus vocat temporalia[12].

Priscianus vero[13], Apollonii vestigia secutus, omnibus fere his significationibus peculiaria nomina creat. Inde dehortativa[14], dubitativa[15], etc., appellat, quæ ceteri prohibendi vel prohibentis vel prohibitionem significantia, dubitandi vel dubitantis vel dubitationem significantia, etc. ; dicit tamen hortandi[16] et hortativa[17], localia[18] et locorum[19], numeralia[20] et numerorum[21], optativa[22] et optandi[23] ; retinuit denique appella-

---

1. Sic quoque Dionysium Thracem imitantur (p. 73 sqq.), qui adverbia appellat : « τὰ χρόνου δηλωτικά, τὰ μεσότητος, τὰ ποιότητος », etc. ; cf. tamen τὰ τοπικά (p. 76) et nonnulla alia.
2. Charis., K. I, p. 186 sqq.
3. Cf. Jul. Modest., Charis., K. I, p. 101, 204.
4. Charis., K. I, p. 190 sqq.
5. Cf. Quintil., I, 5, 50.
6. K. VI, p. 442.
7. Charis., K. I, p. 181.
8. K. IV, p. 154.
9. K. I, p. 186.
10. K. I, p. 181. « Communicative » non nisi de adverbiis usurpatum inveni.
11. Asp., ap. Charis., K. I, p. 216.
12. K. I, p. 404.
13. Cf. supra, p. 40 sq.
14. K. III, p. 84.
15. *Ibid.*, p. 86.
16. *Ibid.*, p. 86, 89.
17. *Ibid.*, p. 138.
18. *Ibid.*, p. 83, 85, etc.
19. *Ibid.*, p. 44.
20. *Ibid.*, p. 88.
21. K. II, p. 598.
22. K. III, p. 86.
23. *Ibid.*, p. 89.

tiva « qualitatis[1], quantitatis[2], similitudinis[3] » et gerundia « admirandi, indignandi, vocandi[4]. »

Neglectis igitur iis appellativis nominibus, gerundiis participiisque, quæ non « technicæ », sed communis linguæ sunt, enumerabo tantum vocabula, quæ proprie ad grammaticam pertinere videntur.

Sunt fere omnia adjectiva, eaque in *-ivus* desinentia. Alia autem adjectivis græcis, quæ de adverbiis ipsa dicuntur, respondent : *abnegativa* scilicet (ἀποφατικόν)[5], *dehortativa* (ἀπαγορευτικόν[6]), *demonstrativa* (δεικτικά[7]), *hortativa* (παρακελευστικόν[8]), *interrogativa* (πευστικά, πυσματικά[9]), *localia* (τοπικά[10]), *jurativa*[11] : cum Græci inter se negativa et affirmativa jurandi adverbia distinguerent, et utraque appellarent peculiaribus nominibus, ἀπωμοτικά et κατωμοτικά[12], ex his duobus nominibus, demptis præpositionibus quarum altera negationem, altera affirmationem significabat, Latini hoc vocabulum deduxerunt. Alia significationum sunt, quæ, ut priores, apud Græcos grammaticos propriis nominibus insigniuntur, sed non per adjectiva exprimuntur ; pleraque tamen adjectivis quoque respondent, sed de aliis orationis partibus tantummodo dictis : *confirmativa* (τὰ βεβαιώσεως)[13] : « βεβαιωτικός » de *conjunctionibus*, a posterioribus tamen grammaticis de *adverbiis* quoque usitatum ; *congregativa* (τὰ ἀθροίσεως)[14] : ἀθροιστικός de conjunctionibus dicitur ; *comparativa* (τὰ συγκρίσεως)[15] :

1. K. III, p. 86.
2. *Id.*
3. *Ibid.*, p. 87, 89.
4. *Ibid.*, p. 89.
5. *Non, haud* : Prisc., K. III, p. 84 ; Apol. Dysc., *De Construct.*, p. 245.
6. *Ne* : Prisc., *l. c.* ; Herodian., Dion. Thr., Ed. Uhlig, i. n., p. 79.
7. *En, ecce* : Prisc., K. III, p. 89 ; Herod., *l. c.*, p. 85.
8. *Heia, age* : Prisc., K. III, p. 86 ; Apol. Dysc., *De adverb.*, p. 123.
9. *Cur, quare, quamobrem*, etc. : Prisc., K. III, p. 88 sq. ; Apoll. Dysc., *l. c.*, *De constr.*, passim.
10. *Hic, illic*, etc. : Prisc., K. III, p. 83 ; Dion. Thr., p. 76.
11. *Edepol*, etc. : Prisc., K. III, p. 85.
12. Dion. Thr., p. 84.
13. *Profecto, scilicet*, etc. : Prisc., K. III, p. 85 ; Dion. Thr., p. 85.
14. *Simul, una* : Prisc., K. III, p. 87 ; Dion. Thr., p. 81.
15. *Magis, minus* : Prisc., K. III. p. 88 ; Dion. Thr., p. 83.

συγκριτικόν de nominibus ; *dubitativa* (τά εἰκασμοῦ)[1] : ἀπορηματικός et διαπορητικός de conjunctionibus ; *numeralia* (τὰ ἀριθμοῦ δηλωτικά)[2] : ἀριθμητικόν de nominibus ; *optativa* (τὰ εὐχῆς σημαντικά)[3] : εὐκτικός de modo ; *ordinativa* (τὰ τάξεως)[4] : τακτικόν de nominibus. *Intentiva* autem (τὰ ἐπιτάσεως)[5], et *temporalia* (τὰ χρόνου δηλωτικά)[6] reddunt adjectiva ἐπιτατικά (cf. ἐπιτείνω et *intendo*) et χρονικά, quæ non nisi apud posteriores grammaticos reperimus. Alia denique de significationibus dicuntur, quas Græci non habent, aut non peculiari nomine secernunt. Sed excepto *remissivo*[7], quod e *remittendo* deductum est, omnia jam invenimus aut mox de conjunctionibus inveniemus. Sunt *causalia*[8] (cf. de conjunctionibus), *deminutiva*[9] (cf. de nomine); *discretiva*[10] (cf. de pronominibus) ; *personalia*[11] (cf. de verbo et pronomine). Tres denique significationes per adverbia apud Charisium[12] designantur, *personative* (cf. supra personalia), *communicative* (cf. congregativa), *vocative*[13]. Omnia hæc vocabula quomodo ficta sint perspicuum apparet, atque in conclusione commemorabitur.

De conjunctione.

Συνδέσμους[14] appellabant Stoici omnia indeclinabilia verba, quorum quasi munus est alias inter se partes orationis colligare, quæ scilicet nos *conjunctiones* et *præpositiones* nomina-

1. *Forsan*, etc. : Prisc., K. III, p. 86 sq. ; Dion. Thr., p. 80.
2. *Bis, ter, totiens*, etc. : Prisc., K. III, p. 88 ; Dion. Thr., p. 76.
3. *Utinam*, etc. : Prisc., K. III, p. 86 ; Dion. Thr., *l. c.*
4. *Deinde, postea*, etc. : Prisc., K. III, p. 87 ; Dion. Thr., p. 80.
5. *Valde, nimium, omnino*, etc. : Prisc., *l. c.* ; Dion. Thr., p. 84.
6. *Nunc, tunc*, etc. : Prisc., K. III, p. 85 ; Diom., K. I, p. 404 ; Dion. Thr., p. 73. A Palæmone autem distribuebantur *temporalia* in *infinitiva* et *finitiva* (Charis., K. I, p. 187) ; item apud posteriorem scholiastam : « Τὰ χρονικὰ ἢ ὡρισμένα ἐστὶν ἢ ἀόριστα. » Cf. Ed. Uhlig, Dion. Thr., p. 73, i. n.
7. *Pedetemptim, paulatim, sensim* : Prisc., K. III, p. 86.
8. *Ideo, idcirco* : Romanus, ap. Charis., K. I, p. 192.
9. « Quæ apud Græcos non sunt, ut *clanculum*, etc. » Prisc., K. III, p. 88.
10. *Seorsum, secus*, etc. : Prisc., K. III, p. 87.
11. *Mecum, tecum* (!) : Romanus, ap. Charis., K. I, p. 192 ; Donat., K. IV, p. 386, etc.
12. K. I, p. 181.
13. *Heus*, etc.
14. Cf. supra, p. 123.

mus. Quis autem illa duo conjunctionum genera diduxerit, nullo veterum testimonio nobis indicatur. Hoc tantum certum est, apud Aristarchum *præpositiones* a *conjunctionibus* distinctas esse [1]. His autem nomen « σύνδεσμος » permansit [2] : quod Latini, sensum aptissime reddentes, in *conjunctionem* traduxerunt.

Quoniam verum Varro quattuor tantum vocabulorum species discrevit [3], eum conjunctiones a præpositionibus separasse parum verisimile est, quamquam nullum aliud *jungendi vocabulum* pro exemplo affert, nisi « que ». Sed alio loco [4] de fecundis et sterilibus vocabulis [5] disserens, ut sterilis generis una ponit « etiam, vix, cras, magis, cur »; deinde cum explicat cur hæc verba « fere singula » sint [6], nihil dicit nisi de « rebus quæ *copulæ* sunt ac jungunt verba », atque « et » pro exemplo exhibet. Inde conjiciendum existimo omnia verba, quæ neque casus neque tempora habent [7], Varronem in una eademque specie promiscue collocasse, neque plane vidisse quid inter se differrent adverbia, conjunctiones, præpositiones. Quin vero appellationem græcam σύνδεσμος cognoverit et per *jungendi vocabulum* vel *copulam* traduxerit, non dubitari potest, quoniam « et » cum loro comparat : « Uno enim *loro alligare* possis vel hominem vel equum..., quicquid est quod cum altero potest *colligari*. Sic quod dicimus in loquendo Consul fuit Tullius et Antonius, eodem illo ET omnis binos consules *colligare* possumus [8], etc. »

« Conjunctio » apud Festum [9] deprehenditur de « nec ». « Nec coniunctionem grammatici fere dicunt esse disiunctivam. » Sed notandum est Paulum appellavisse « vel » *colliga-*

1. Cf. Lersch, *l. c.*, II, p. 60 sq.
2. Cf. infra de præpositionibus, p. 143 sq.
3. VIII, 44.
4. VIII, 9.
5. Cf. supra, p. 71.
6. VIII, 10.
7. « (Species) quæ habet neutrum », VIII, 44. Fortasse Stoicos sequitur.
8. VIII, 10.
9. P. 162.

tionem disjunctivam [1] : quam appellationem ab eo impositam esse credi non potest; at, si locum Varronis quem rettuli repetierimus, a Verrio usurpatam esse facile suspiciemus, sive et conjunctionem et colligationem dixerit, sive conjunctionem Festus in loco laudato pro colligatione posuerit [2].

Quintilianus ipse [3] *convinctionem* « e συνδέσμῳ magis propriam esse translationem » censet, in quo fingendo *-vinctio* (a vinciendo) græco -δεσμος ad verbum respondeat. Sed apud Palæmonem [4], Velium Longum [5], Scaurum [6] omnesque posteriores artigraphos « conjunctio » prævaluit.

« Accidunt coniunctioni figura, et species, quam alii potestatem nominant, quæ est in significatione coniunctionum, præterea ordo [7]. » Figura est simplex aut composita [8]. Plurimæ sunt species et in iis constituendis parum inter se consentiunt grammatici.

Quo loco apud Charisium Palæmonis nomen appellatur [9], ibi res ita exponuntur, ut grammaticus (Charisiusne ipse an anonymus quidam fuerit [10], incertum est) et Palæmonem, et Plinium adiisse videatur. Postquam enim plures species enumeravit, quas Palæmon a Dionysio Thrace [11] mutuari potuit (*copulativas*, συμπλεκτικούς; *causales*, αἰτιολογικούς; *ratiocinativas*, συλλογιστικούς; *dubitandi*, διστακτικούς [12]; *disjungendi*, διαζευκτικούς; *admonendi atque petendi* [13]), addit cum Plinii nomine *relativas ad aliquid* sive *comparativas* (magis, potius, immo), deinde sine auctoris nomine *subjiciendi* (equidem,

1. P. 369.
2. Cf. supra, p. 18; infra, p. 138, n. 6.
3. I, 4, 18. Num hic Palæmonis doctrinam, ut solet, reddiderit, nescio.
4. Charis., K. I, p. 225; Diomed., *ibid.*, p. 415.
5. K. VII, p. 63.
6. *Ibid.*, p. 11; *Explan. in Donat.*, II, p. 560.
7. Priscian., K. III, p. 93.
8. Cf. supra, p. 78.
9. K. I, p. 225 sq.
10. Cf. supra, p. 33 sq.
11. P. 87 sqq.
12. Sic ap. Char., K. I, p. 225, et Dosith., K. VII, p. 418. Eas conjunctiones Dionysius appellat συναπτικούς; cf. infra, p. 140.
13. Si hæc species (sed, verum) ἀπορηματικοῖς (ἆρα, κἆτα, μῶν) respondet; sed locus Dionysii est corruptus.

enimvero), « quas Palæmon expletivas ait », *repletivas* (saltem, tamen, tandem, ne, adeo)[1], *inlativas* (quamquam, etc.). Inlativas autem a Plinio discriminatas nominatasque esse Diomedes testatur[2] : unde conjiciendum est totum locum a « relativis ad aliquid » usque ad finem ex « dubii sermonis » libris haustum esse. Et liquet hunc locum e Palæmone neque a Charisio vel anonymo, cum Palæmonis nomen afferatur, neque a Plinio, cum « dubii sermonis » libri, nondum edita Remmiana Arte, compositi sint[3], exscriptum esse. Concludendum ergo est, Palæmonem VI minimum species[4], fortasse VII[5] distinxisse ; Plinium vero relativas ad aliquid sive comparativas et inlativas amplius dignovisse, atque expletivas in duas species separavisse, subjiciendi scilicet et repletivas. Quod vero ad appellationes pertinet, animadvertendum est pauca gerundia apud Palæmonem et Plinium fuisse, pro quibus posterius adjectiva in usu futura erant (cf. disjungendi : disjunctivæ[6], etc.); copulativas, expletivas, causales apud ceteros artigraphos obtinuisse, pro ratiocinativis « rationales » sæpe dictum esse.

Exceptis vero Palæmone, Plinio, Charisio, Diomede[7] ac Dositheo, omnes artigraphi usque ad Priscianum V species, copulativas scilicet, disjunctivas, expletivas, causales, *ratio-*

1. Diomedes (p. 415) expletivas nominat « quidem, equidem, quoque..., tamen..., saltem, etc. » Inde Palæmonem quoque expletivas appellasse, quas Plinius subjiciendi et repletivas, credo. Præterea Plinius, in quo a Charisio reprehenditur, adverbia et conjunctiones confundit. Sed plerique artigraphi, postquam suam doctrinam de conjunctionibus exposuerunt, hujusmodi verba addunt : « Nec te moveat, si quædam esse adverbia et coniunctiones recognoveris. » Charis., K. I, p. 226; Diomed., *ibid.*, p. 416.
2. *L. c.*
3. Cf. supra, p. 22.
4. Sunt copulativæ, causales, ratiocinativæ, dubitandi, disjungendi, expletivæ. Cf. Dosith., K. VI, p. 417 sq., copulativæ, causales, ratiocinativæ, repletivæ, disjunctivæ, dubitandi.
5. Si adduntur conjunctiones admonendi atque petendi. Dionysius Thr., *l. c.*, VIII species enumerat; sed quæ παρασυναπτικοί (cf. infra, p. 140) ab eo nominantur (ἐπεί, ἐπείπερ, ἐπειδή, ἐπειδήπερ), eæ inter ratiocinativas a Palæmone collocantur.
6. « Disjunctiva conjunctio » ap. Vel. Long., K. VII, p. 63, atque Fest., p. 162. An autem hanc dictionem Verrius non usurpaverit, cum nondum ea Palæmon usus esse videatur, dubito.
7. Ejus doctrina fere congruit (K. I, p. 415 sq.) cum loco Charisii, de quo quæstio supra fuit.

nales, admiserunt[1]. Unus Priscianus, Apollonii vestigiis insistens, multo plures recepit.

Jam vero quis fuerit sensus et origo vocabulorum de conjunctionibus usitatorum, examinemus. In primis enumerabo rursus species, quas omnes admittunt, quarumque nomina a Græcis Latinos mutuatos esse apparet. Sunt : 1° *copulativæ*[2], quod vocabulum sensu συμπλεκτικοῖς respondet[3]; græcum tamen ad verbum reddit Gellius[4] per *conexivam* (a conectendo, ut συμπλεκτικοί a συμπλέκτω); -πλεκτικοῦ vero sonum etiam ipsum fere repræsentat *complexiva*, quod vocabulum apud Diomedem una cum *copulativa* invenitur[5]; 2° *disjunctivæ*[6], ad verbum διαζευκτικοί[7]; 3° *expletivæ*[8], quæ παραπληρωματικοῖς[9] respondent; dicuntur quoque *completivæ*[10] (συμπληρωματικοί[11]) et *repletivæ*[12] (ἀναπληρωματικοί[12]); 4° *causales*[13], gr. αἰτιολογικοί[14] vel potius αἰτιώδεις[15]; 5° *rationales*[16] (συλλογιστικοί[17]), vel, quod sensum græci vocabuli expressius reddit, *ratiocinativæ*[18] : ratiocinatio enim idem significat ac συλλογισμός. Sed Priscianus serviliter συλλογιστικόν interpretatur per *collectivam*[19] (cf. *colligo* et συλλέγω), aut, quoniam Stoici[20] et

1. Cf. Scaur., *Explan. in Donat.*, II, K. IV, p. 560; Sacerd., K. VI, p. 445 sq.; Cominian., ap. Charis., K. I, p. 124; Victor., K. VI, p. 202 sq.; Donat., K. IV, p. 364 sq., 388 sq.; *Inst. Art.*, *ibid.*, p. 143 sq.; Serv., *ibid.*, p. 418; Pomp., K. V, p. 269.
2. *Et, que, ac*, etc., cf. Prisc., K. III, p. 93.
3. Dionys. Thr., p. 88. Jam ap. Stoicos, cf. Diog. Laert., VII, 72; Lersch, *l. c.*, II, p. 40.
4. X, 29.
5. K. I, p. 433.
6. *Ve, vel, aut*; cf. Prisc., K. III, p. 97.
7. Dion. Thr., p. 90; jam ap. Stoicos, cf. Lersch, *l. c.*, p. 39.
8. *Vero, autem, equidem, nam*, etc.; cf. supra, p. 138, n. 1 et 4, et Prisc., K. III, p. 100.
9. Dion. Thr., p. 96; jam ap. Stoicos, Lersch, *l. c.*
10. Prisc., K. III, p. 102.
11. Ap. posteriores grammaticos (Uhlig, Dionys. Thr., p. 166).
12. Plin., ap. Charis., K. I, p. 226; Dosith., K. VII, p. 418.
13. Cf. supra, p. 138, n. 4; infra, p. 140 sq.
14. Dion. Thr., p. 93.
15. Apoll. Dysc., *De conj.*, p. 239; jam ap. Stoicos, Lersch, *l. c.*, p. 39.
16. Cf. p. 138, et Prisc., K. III, p. 100. *Ergo, igitur, immo*, etc.
17. Dion. Thr., p. 95.
18. Palæm. apud Charis., K. V, p. 225; Diomed., K. I, p. 416; Dosith., K. VII, p. 418.
19. K. III, p. 100.
20. Cf. Lersch, *l. c.*, p. 40.

Apollonius Dyscolus[1] easdem conjunctiones ἐπιφορικούς appellarunt ex v. ἐπιφορά (= conclusio), *illativas* dicit[2] (cf. *infero* et ἐπιφέρω). De collectivis autem et his illativis (ergo, igitur, itaque, quin, etc.) dicit Priscianus : « Hæ enim per *illationem* (id est ratiocinationis conclusionem) *colligunt* supra dictum, hoc est ratione confirmant[3]. » Alio autem sensu vidimus Plinium *inlativas* quoque nuncupavisse « quamquam, quamvis, etsi, tametsi[4] » ; quod nomen inde, credo, imposuit, quia per eas infertur, id est interponitur aliquid et objicitur.

Subdisjunctivas Priscianus subjicit *disjunctivis*, quas illo nomine appellandas edocet, ubicumque ita usurpantur, ut altera res posita non excludat alteram[5]. Hanc autem appellationem e græco παραδιαζευκτικός ortam esse liquet, quod apud Apollonium sæpe deprehenditur[6].

Causales vero Priscianus, Apollonio quoque obsecutus, in V species dividit[7]. Sunt : 1° *causales* proprio nomine, « quoniam, quamobrem, et *adjunctivæ* », ubicumque cum affirmatione proferuntur ; 2° *continuativæ* (συναπτικοί)[8], « quæ continuationem et consequentiam rerum significant, ut *si...., sive, sin, seu*, tam *continuativæ* quam *causales*[9] » ; alio vero loco συναπτικόν Priscianus in *conjunctivam* transfert[10] ; 3° *subcontinuativæ* (παρασυναπτικοί[11]), quæ « causam continuationis ostendunt consequentem cum essentia rerum, ut *quoniam, quia*[12] » ; 4° *adjunctivæ* (ἐπιζευκτικοί[13]), « quæ subiunctivis adiunguntur, ut

1. *De conj.*, p. 251, etc.
2. K. III, p. 101.
3. *L. c.*, p. 100.
4. Ap. Charis., K. I, p. 226 ; cf. supra, p. 138.
5. K. III, p. 98.
6. *De conjunct.*, p. 219, 222.
7. K. III, p. 94.
8. Dion. Thr., p. 91 ; jam ap. Stoicos, cf. Lersch, II, p. 39. Eodem vero sensu usurpari solet *continuare*, quo συνάπτειν. « Dubitandi » ap. Palæmonem, cf. supra, p. 137.
9. Prisc., K. III, p. 94.
10. K. III, p. 241. Jam observavimus (p. 84, n. 7) Priscianum sic hæsitare in appellationibus, quas creat.
11. Dion. Thr., p. 92.
12. Prisc., K. III, p. 94.
13. Apoll. Dysc., *De conj.*, p. 215, 243.

si, cum, ut, dum, quatenus.... ; illæ cum dubitatione proferuntur[1] » ; 5° *effectivæ* (ἀποτελεστικοί[2]), quarum exemplum Priscianus *enim*[3], Apollonius « ἵνα » proponit. In his quidem nominandis generibus Latinum grammaticum Græcos serviliter imitatum esse liquet.

Adduntur præterea *dubitativæ* aut *interrogativæ* (*an, ne, necne*[4]), quæ ἀπορηματικοῖς[5] vel διαπορητικοῖς[6] et ἐρωτηματικοῖς[7] sensu respondent ; *approbativæ*, « quæ approbant rem[8] », quas quoque Priscianus *confirmativas*[9] et *affirmativas*[10] nuncupasse puto. « *Approbativæ* » autem nullum, quod sciam, græcum reddit vocabulum ; sed διαβεβαιωτικόν[11] et βεβαιωτικόν[12] exprimunt « confirmativæ » et « affirmativæ » ; διαβεβαιωτικόν vero appellat Apollonius « ὅτι » in hujusmodi dictionibus, a latina lingua alienis : « ὅτι μὲν τὸ μέλι γλυκύ ἐστι, προφανές · διότι δέ, ἀγνοῶ · ὅτι μὲν ὁ δεῖνα ἔβλαψέ με, δῆλον, διότι δέ, ἀγνοῶ ». Hanc appellationem ex alia specie conjunctionum ad aliam transtulisse Priscianum haud incredibile est. « *Disertivæ* vel *electivæ* sunt, quando diversis propositis aliquid ex eis nos eligere ostendimus, ut *dives esse volo quam pauper*[13] » : ex eligendo « electivæ » ortum est[14] ; « *disertivæ* » autem e « diserte » propter *di-* (= δια-) fictum esse arbitror, ut græcum « διασαφητικός[15] » expressius traduceretur.

1. Prisc., K. III, p. 95.
2. Apoll. Dysc., *l. c.*, p. 243, etc.
3. K. III, p. 95.
4. Prisc., K. III, p. 101. Has credo a Palæmone (cf. supra, p. 137) *petendi* appellatas esse.
5. Dion. Thr., p. 94 ; Apoll. Dysc., *De conj.*, p. 258.
6. Apoll. Dysc., *l. c*, 223-230.
7. Cf. Uhlig, Dionys. Thr., p. 133.
8. *Equidem*, etc. ; Prisc., K. III, p. 97. Cf. supra, p. 137 sq., subjiciendi ap. Plinium ; apud ceteros inter expletivas.
9. K. III, p. 101.
10. K. III, p. 236.
11. Apoll. Dysc., *De conj.*, p. 235, etc.
12. Cf. Uhlig, Dionys. Thr., p. 143.
13. Prisc., K. III, p. 98.
14. Fortasse quoque ex ἐλεγκτικός : jam ap. Stoicos (Lersch, *l. c.*, II, p. 39).
15. Apoll. Dysc., *l. c.*, p. 223, etc., de ἤ et ἤπερ (= quam).

« *Adversativæ* sunt, quæ adversum convenienti significant[1] » (ἐναντιωματικοί[2]).

Apud Priscianum denique pauca inveniuntur nomina minoris momenti, inter quæ « *distributiva* » vocabulum, de « vero » dictum, quia hæc conjunctio « distribuit diversas res diversis personis[3] », jam de nominibus supra invenimus. Licet autem *abnegativæ*[4] nullæ latinæ conjunctiones appellari possint, sed græcæ solum κέν et ἄν, eo tamen vocabulo, Apollonii vestigiis serviliter insistens, grammaticus ille ἀναιρετικόν reddidit[5]. *Ablativam* postremo speciem et *præsumptivam*, quæ in enumeratione tantum classium leguntur[6], at in descriptione desunt, non putat Uhlig deberi Prisciani manui, sed, ab alio in margine inscriptas, postea ante *adversativas* insertas esse[7]. « *Ablativa* » ceterum magis propria est ἀναιρετικοῦ[8] translatio ; *præsumptivæ* autem eædem sunt quæ a Stoicis προσληπτικοί appellabantur, id est quæ syllogismi propositionem minorem (πρόσληψιν) inducere solent. Ex hac appellatione, in προληπτικόν sæpius corrupta, arbitratur Schœmann[9] deductum esse « præsumptivæ » vocabulum, quod a præsumendo ortum est ut προληπτικός a προλάμβάνω (cf. *præ* et προ, *sumo* et λαμβάνω).

Aliter quoque pleræque conjunctiones in tres species dividuntur : hanc divisionem a Palæmone[10] factam esse credo, et per eam separatas peculiarique nomine designatas conjunctiones, ut quæque sive indicativo sive optativo sive subjunctivo jungi solebant. Inde nuncupantur *finitivæ* « dum,

1. *Tamen, quamquam, quamvis,* etc. ; Prisc., K. III, p, 99. Cf. inlativas ap. Plin. supra, p. 138.
2. Dion. Thr., *l. c.,* p. 100.
3. K. III, p. 102.
4. K. III, p. 99.
5. Steinthal, *l. c.,* II, p. 324 sq.
6. Cf. K. III, p. 93.
7. Cf. Dion. Thr., p. 88, *i. n.* Christ, *Philol.,* XVIII, p. 147, credit hunc locum Prisciani sic legendum esse : « disertiva *vel* præsumptiva, adversativa *vel* ablativa. »
8. Cf. Steinthal, *l. c.*
9. *Redetheilen,* p. 219, n. 2.
10. Ap. Charis., K. I, p. 226.

quamquam, postquam, antequam, quatenus, ut, cum (ὅταν ὡς σημαίνει) » ; *optativæ,* « utinam, ut ne » ; *subjunctivæ* « cum, si » et quæ ab eo compositæ sunt, « antequam, donec, quamvis, dummodo, licet, (postquam ?), priusquam, dum » cum pro donec accipitur aut pro dummodo[1].

Quod ad ordinem pertinet, conjunctiones in tria genera distribuendæ sunt : aliæ enim *præpositivæ* sunt, ut quæ tantum præponi possint (at, sed) ; aliæ *subjunctivæ,* ut quæ tantum subjungi (que, autem) ; aliæ *communes* (et, igitur, etc.), « quibus utralibet parte positis sine vitio coniungitur oratio[2] ». Hæc saltem nomina apud Donatum[3] nonnullosque alios[4] invenimus. A Palæmone autem, teste Charisio[5], appellabantur aliæ *principales,* id est quæ principio orationis poni solent, aliæ *subsequentes,* aliæ *mediæ*[6]. Pompeius[7] denique *postpositivas* dicit, quas Donatus, etc., *subjunctivas.* An e Græcis hanc divisionem Palæmon non mutuatus sit dubito. Nomina autem aut quomodo ficta sint liquet, aut de aliis orationis partibus usurpata jam explicavi.

De præpositione.

Quas nos *præpositiones* vocamus, eas Stoici, *conjunctionum* notione complectentes, προθετικούς συνδέσμους, id est, præpositivas (quæ præponi solent) conjunctiones dicebant[8]. Inde, cum illæ duæ partes orationis sejunctæ sunt, genus quidem

1. Cf. Charis., *l. c.,* Diom., K. I, p. 416. *Et* Diomedes (*l. c.*) dicit esse nunc *interrogativam,* nunc *indignativam,* nunc *adnutivam* et *promissivam,* nunc *auctivam,* nunc *superlativam,* etc. In libello, qui Aspro tribuitur, invenimus quoque *supernexivas* conjunctiones et *prælativas,* etc. Sed omnia nomina, quæcumque a singulis grammaticis usurpata sunt, enumerare nec possimus nec operæ sit pretium.
2. Charis., K. I, p. 225. Cf. supra, p. 51, 55, 129.
3. K. IV, p. 389.
4. Exempli gratia, *præpositivas* et *communes* ap. Priscian., K. III, p. 24.
5. *L. c.*
6. Pomp., K. V, p. 269.
7. *L. c.*
8. Apoll., *De constr.,* I, 1 ; Prisc., K. II, p. 54.

retinuit suum nomen, σύνδεσμον, speciei vero appellatio ex appellatione Stoicorum deducta et proprie data est, πρόθεσις[1]. Hanc partem, ut LERSCH[2] opinatur, separatam et denominatam esse ab Aristarcho, certis argumentis demonstrari non potest. Ejus certe græcum nomen Latini in *præpositionem* ad verbum converterunt, quod vocabulum apud Ciceronem[3] jam deprehenditur.

Edocent omnes veteres grammatici aliis partibus præponi *præpositiones* vel compositione vel appositione. Atque inde in tres species dividuntur, quæ scilicet semper conjunguntur, quæ semper separantur, quæ et conjunguntur et separantur[4]. Quæ solum compositione præponuntur, earum jam mentionem Varro fecerat ac *præverbia* eas vocaverat[5]. An eodem sensu *ex, in, ad, ab* inter « adverbia localia » quoque posuerit scire non possumus[6]. Hanc certe præpositionum speciem adverbiis subjicere minime a ratione aversum sit. Easdem vero dicunt Julius Romanus[7], Cominianus[8] Donatusque[9] loquellis servire. Inde fictum est nomen, *loquellares,* quod in libro *De ultimis syllabis*[10] et apud Cledonium[11] invenimus. *Inseparabiles* denique a Prisciano appellantur[12]. Tum quæ separantur, cum ab iisdem qui priores « loquellis servire » explicabant, « casibus servire » dicerentur, inde *casuales*[13] nuncupatæ sunt. *Communes* denique a Cledonio[14] vocantur, quæ apponi pariter

1. Dion. Thr., p. 70. Illud quidem vocabulum non ita apte formatum est, ut quod nec quid significent προθέσεις, nec quid valeant in oratione, sed tantum quo loco poni soleant, exprimat.
2. *L. c.*, II, p. 60.
3. *Orat.*, XLVII, 158. Cf. Fest., p. 178, etc.; Quintil., I, 4, 13; Vel. Long., K. VII p. 60; Scaur., *ibid.*, p. 11.
4. Palæm., ap. Charis., K. I, p. 231; Donat., IV, p. 389, etc.
5. VI, 38; cf. Gell.. VI, 7, de Anniano poeta.
6. Scaur., *De orthogr.*, K. VII, 29 : « Varro *adverbia* localia, quæ alii *præverbia* vocant, quattuor esse dicit, *ex, in, ad, ab.* »
7. Apud Charis., K. I, p. 236.
8. *Id.*, p. 230.
9. K. IV, p. 389.
10. K. IV, p. 253; cf. supra, p. 39 sq.
11. K. V, p. 75.
12. *Part. XII vers. Aen.*, K. IV, p. 500.
13. K. IV, p. 253. Nullo peculiari nomine a Prisciano insigniuntur.
14. *L. c.*

et componi possunt. In libello denique « Palæmonis ars » inscripto[1] casualium nominantur alteræ *accusativæ,* ut quæ accusativo jungantur, alteræ *ablativæ,* ut quæ ablativo[2]. Sed cum a Charisio, Palæmonis de præpositione doctrinam exponente, hæc nomina non adhibita sint[3], hujus grammatici ea esse non verisimile est.

De interjectione.

Adverbiis adnumerabant Græci quæ dicuntur *interjectiones :* eas Latini per se distinxerunt[4], et inde denominaverunt, quod « cuiuscumque passionis animi pulsu per exclamationem intericiuntur[5] ». Neque inepte dictas ea ratione *interjectiones* puto, quæ re vera naturaque sua in exprimenda sententia orationi non inhæreant, sed extraordinaria tamquam supplementa interponantur.

De accentu et interpunctione.

« Accentus est certa lex et regula ad elevandam et deprimendam syllabam uniuscuiusque particulæ orationis[6]. » Per eum ergo variis modis vel intendi vel quasi cantari syllaba quæque potest. Inde a Græcis sive τόνος[7] sive προσῳδία[8] appellatus est. Latini vero duo hæc vocabula in suam linguam immutata transcripserunt, dixeruntque nunc *tonos*[9], nunc *prosodias*[10]. Alii autem pro *tono* latinum eodem sensu vocabulum usurparunt *tenorem*[11]; alii verbum ex verbo ducentes, προσῳδίαν

1. Cf. supra, p. 21.
2. K. V, p. 546.
3. K. I, p. 241.
4. Fortasse Palæmon; cf. Lersch, *l. c.*, II, p. 156 sq.
5. Charis., K. I, p. 238; Priscian., K. III, p. 90.
6. Prisc., *De accent.*, K. III, p. 519.
7. Dion. Thr., p. 6.
8. *Id.*, p. 105.
9. Nigid., ap. Gell., XIII, 26; Donat., K. IV, p. 371.
10. Varr., ap. Gell., XVIII, 12.
11. Quint., I, 5, 22.

in *accentum* traduxerunt. « Nam apud Græcos πρός dicitur *ad*, *cantus* vero ᾠδή vocatur [1]. » Hoc vocabulum obtinuit. Sed a Gellio cognoscimus [2], « quas Græci προσῳδίας dicerent, eas veteres doctos tum *notas vocum*, tum *moderamenta*, tum *accentiunculas*, tum *voculationes* [3] appellasse. » Prima autem appellatione signum quo accentus in scribendo notabatur, significatum esse liquet, sicut his nominibus, quæ apud Diomedem invenimus [4] : « Accentus quidam *fastigia* vocaverunt, quod in capitibus litterarum ponerentur...., nonnulli *cacumina* retinere maluerunt. » Ex « accentu », quippe cujus deminutivum sit, « *accentiunculam* » vocabulum deductum esse apparet. *Voculatione* autem et *moderamento* declarabatur per accentum vocem variis flecti modis, et certis regulis quasi gubernari.

Quod ad ipsam vocis modulationem et tenorem pertinet, tres diversos accentus plerique dignoscebant, quos, teste Sergio [5], Dionysius, « Aristarchi discipulus, cognomento Thrax », tradiderat, βαρεῖαν scilicet, ὀξεῖαν, περισπωμένην (προσῳδίαν). Duo prima vocabula, a musicis usurpata, jam apud Platonem deprehenduntur [6], et a Latinis ad verbum in *gravem* et *acutum* traducta sunt. Pro *acuto* tamen *summum* tonum dixisse Nigidium Gellius testatur [7]. Tum περισπωμένη, cui latine *circumtractus* responderet, a Quintiliano per *flexum* redditur [8], « quoniam prima (προσῳδία) erecta rursus in gravem flectitur [9] »; alii autem *inflexum* dicunt [10], plerique *circumflexum* [11], quod vocabulum ad id creatum esse credo, ut, *circum* præpositione pro περί adhibita, græcum περισπωμένη magis proprie transferretur. Quidam denique, inter quos Sergius

1. Serv., K. IV, p. 426.
2. XIII, 6.
3. Nigid., ap. Gell., XIII, 26.
4. K. I, p. 431.
5. *Explanat. in Donat.*, K. IV, p. 539.
6. *Sophist.*, p. 253.
7. XIII, 26.
8. I, 5, 23 sqq.; cf. Serg., K. IV, p. 531.
9. Serg., *l. c.*
10. Diomed., K. I, p. 431, etc.
11. « Circumflexa syllaba », ap. Gell., IV, 7. « Circumducitur », Quint., XII, 10, 33.

Varronem fuisse dicit [1], Aristoteli [2] et Theophrasto et Tyrannioni Amiseno [3] obsecuti, quartum accentum esse voluerunt, quem *medium* (μέσην) nuncupaverunt, ut qui vocem mediam inter imam summamque faceret.

Hic postremo commemoranda sunt *pænultima* [4] et *antepænultima* vocabula, quæ secundam et tertiam designant ante finalem syllabam, neque usquam nisi apud grammaticos de accentibus disserentes inveniuntur.

« Accentus » autem vocabulum cum de ipsius vocis varietatibus, tum de signis [5] dictum est, per quæ hæ vocis varietates notantur [6]. Eo sensu deprehendimus non solum *acutum*, *gravem*, *circumflexum*, sed *brevem* quoque accentum et *longum* [7], ut notæ designentur brevis et longæ vocalis. Item inter accentus numerantur et *apostrophos* [8], « pars circuli dextera ad summam litteram consonantem apposita, ut deesse ostendatur ultimam vocalem [9] », et *hyphen* [10], « quæ *coniunctio* dicitur, qua tum utimur quando duo verba conectimus [11] », et « cuius forma est virgula sursum sensim curvata subiacens versui et inflexa ad superiorem partem [12] », et *diastole* [13], « dextera pars circuli ad imam litteram apposita [14] », « quæ *disiunctio* latine dicitur, quæ contraria separat [15] », et *dasia* et *psile*, quæ usitata solum in græcis vocabulis scribendis signa indicant [16].

1. *L. c.*
2. Cf. *Poet.*, c. 20; *Rhet.*, III, 1.
3. « Quem Lucullus Mithridatico bello captum L. Murenæ concessit, a quo ille libertate simul et civitate donatus est. » Serg., *l. c.*
4. Gell., IV, 7.
5. *Virgula* proprie denominatur parva linea qua notatur accentus *gravis* vel *acutus*; cf. gall. *bâton*.
6. Dion. Thr., p. 105 sqq.
7. Id., p. 107.
8. Id.
9. Diomed., K. I, p. 435; Prisc., *De accent.*, K. III, p. 520.
10. Dion. Thr., *l. c.*
11. Ut *simulac*, *antetulit*, etc.; cf. Prisc., *l. c.*
12. Diom., *l. c.*
13. Dion. Thr., *l. c.*; ὑποδιαστολή.
14. Diom., *l. c.*
15. Prisc., *l. c.*
16. De illis omnibus signis cf. quoque Donat., K. IV, p. 371 sq. Qui de *dasia* et *psile* sic dicit : « Ceterum δασεῖαν et ψιλὴν apud Latinos *h* littera, vocali addita vel detracta, significat. »

De *interpunctione* pauca quoque satis erunt. Græci θέσεις appellabant pausas in legendo, unde Latini *posituras* dixerunt[1]. Signa autem positurarum στιγμαί sunt[2], cujus vocabuli sensus latine *puncto* exprimitur[3]. Inde *interpunctiones* quoque vocantur notæ tenuissimæ, quæ, inter partes orationis positæ, has mora separandas ostendunt[4]. At plerumque « στιγμή » per *distinctionem* redditur, quo vocabulo ipsam separationem potius quam separationis notam proprie significatam esse arbitror, licet apud grammaticos hanc notam designare soleat[5]. Tres autem sunt *distinctiones* : *distinctio* (per excellentiam), ad summam litteram posita, ubi finitur plena sententia, quæ *finalis* (τελεία) quoque *distinctio* vocatur[6]; *media* (μέση[7]) *distinctio* (sive mora), vel *submedia*, ad mediam litteram posita « ubi fere tantum de sententia superest, quantum jam diximus, cum tamen respirandum sit[8] »; *subdistinctio* (ὑποστιγμή[9]), ad imam litteram posita, « ubi non multum superest de sententia, quod tamen necessario separatum mox inferendum sit[10]. » Cur autem illa nomina imposita sint, explicare supervacaneum est.

De constructione.

Constructioni, quam syntaxim dicimus, veteres multo minore diligentia quam ceteræ grammaticæ studuerunt, pluraque jam deprehendi et explicavi vocabula, quæ re vera ad eam partem attinent. Itaque hic solum monebo græcum « σύνταξιν » Latinos in *constructionem* prope ad verbum traduxisse,

1. Donat., K. IV, p. 372; Diom., K. I, p. 437, etc.
2. Dion. Thr., p. 7.
3. Donat., Diomed., *l. c.*, etc.
4. Cic., *Muren.*, 25.
5. Donat., Diomed., *l. c.*, etc.
6. Dion. Thr., *l. c.*; Diomed., *l. c.*
7. Dion. Thr., *l. c.*
8. Donat., *l. c.*
9. Dion. Thr., *l. c.*
10. Donat., *l. c.*

aut, sensum potius intuitos, per *dispositionem* interpretatos esse. *Barbarismus* autem et *solœcismus*[1], de quibus copiosius[2] disseruere grammatici, græca sunt nomina (βαρβαρισμός, σολοικισμός). At pro barbarismo « veteres doctos » *rusticum sermonem* dixisse, et solœcismum *imparilitatem* a Sinnio Capitone aliisque ejusdem ætatis appellatum esse, et *stribiliginem*[3] a vetustioribus Latinis testatur Gellius[4]. Addit etiam se neque solœcismum neque barbarismum apud Græcos idoneos invenisse; eos vero sicut βάρβαρον, ita σόλοικον dixisse; Latinos quoque antiquiores *solœcum* facile, solœcismum fortasse nunquam. In ea controversia a Gellio commemorata magis quam dirempta, aliquam promere sententiam non sustinebo.

1. Ambo, *ad Heren.*, IV, 12, 17.
2. Ne nimis ampla materia impedirer, vocabula de vitiis et virtutibus sermonis omisi.
3. « A versura videlicet et pravitate tortuosæ orationis. »
4. V, 20; XIII, 7.

CONCLUSIO

Singulas hactenus meæ materiæ partes perlustrare, omniaque latina vocabula, quæcumque ad grammaticam pertinent, disquirere atque hoc consilio explanare, ut eorum quis fuisset sensus, usus et origo discerneretur, quam diligentissima potui cura conatus sum. Emenso jam curriculo, quo rerum ordinem secutus, diversa vocabulorum genera permixta et inordinata recensui, respiciamus aliquando, ut breviter commemoretur quomodo rebus Latini nomina imposuerint grammaticis, eaque nomina, ratione tandem quadam disposita, iterum enumerentur.

Si latinitatis ipsius rationem ducemus, tria vocabulorum genera describenda erunt :

I. Quæ mere ac plane græca sunt (circiter 45)[1];

II. Quæ, jam communi sermone usitata, a grammaticis adhibita sunt et adoptata (c. 300);

III. Quæ ad grammatica denominanda Latini creaverunt (c. 260).

Si vero quibus ex notionibus deducta sint perspiciemus, videbimus :

a) Alia ex sensu rerum quæ denominanda erant deducta esse (c. 240)[2], inter quæ paucorum (*a'*) significatio extensa aut restricta est (c. 25)[3];

b) Alia ex natura rerum[4] aut aliqua grammatica qualitate[5] vel usu[6] (c. 230);

1. Unum semigræcum est, *monaria*. Si qua, quasi homonyma, pluribus sensibus usurpata sunt, quotiens inveni, totiens in numerandis vocabulis eorum rationem habui.
2. Ut *cteticon*, *optativus*, *temporale*, etc.
3. Ut *muliebre* genus, *appellativum*, *dativus* casus, etc.
4. Ut *vocalis*, *scriptilis*, etc.
5. Ut *verbale*, *neutrale*, *compositum*, *simplex*, etc.
6. Ut *accusativa* præpositio, etc. Qualitas autem et usus grammaticus pro rerum grammaticarum natura haberi possunt.

c) Alia ex comparatione quadam vel metaphora (c. 45)[1];

d) Alia ex externa et fortuita qualitate (c. 25)[2];

e) Nonnulla denique aut parum apte usitata esse, aut incerta atque obscura origine (c. 45).

Grammatica vocabula, ut quæque singulis his generibus tribuenda sunt, sub iisdem litteris quas nunc posui in enumeratione dispertiam.

I. Mere græca sunt :

a) *Cteticon*, **patronymicum**[3] vel *patronomicum*;

a') *Grammatica*, *grammaticus*, *grammatista*;

b) **Anomalum**, **apostrophos**, *aptotum*, *diastole*, *dichrona*, *dionymum*, **diphthongus**, *diptotum*, **disyllabus**, *epicœnon*, **heterocliton**, *hexaptoton*, **homonymum**, *hyphen*, *monophonos*, *monoptoton*, **monosyllabus**, *paragogum*, *parasyntheton*, **paronymon**, *pentaptoton*, *polyonymon*, **polysyllabus**, *prosodia*, **syllaba**, **synonymum**, *tetraonymum*, *tetraptoton*, *tetrasyllabus*, *tonus*, *trigenes*, *trionymum*, *triptoton*;

c) **Barbarismus**, *dasia*, *hypocorisma*, *psile*, **solœcismus**, vel *solœcus*;

d) **Epitheton.**

Ea non citavi, quæ litteris tantum græcis scripta deprehendi. Semigræcum est *monaria*.

II. Quæ jam usitata grammatici in suum usum assumpserunt, in duas ipsa species dividenda sunt :

A. Quæ græcum nomen non reddunt;

B. Quæ rursus græcum nomen interpretantes Latini usurpaverunt.

A. Illorum vero plures sunt species :

1° Quæ a principio rem ad grammaticam pertinentem designaverunt :

1. Ut *barbarismus*, *supinum*, *rectus*, *obliquus*, etc.
2. *Adjectivum*, *præpositio*, *octavus* casus, etc.
3. Crassioribus litteris distinguentur ea, ex quibus Galli vocabula deduximus.

a) *Agnomen, cognomen, elementum,* **littera**, *oratio, verbum* (gall. *mot*), *vocabulum* (?), **vox** (gall. *voix*);

a') *Litteratura*;

d) **Prænomen.**

2° Quæ rem grammaticam a Græcis alienam significant :

a) *Ulterior* vel *ulterius* (temp.);

a') *Comparativus* (casus)[1];

b) *Articulare*[2], *communis* (numerus), *simplex* (= *deponens verb.*), *totum conversum in latinam regulam, totum græcum*, vel *græcæ declinationis*;

c) *Nothum*, **supinum**;

d) *Latinus* (casus), *octavus* (casus), *septimus* (casus), *sextus* (casus);

Deponens, *gerendi* vel *gerundi modus.*

3° Quæ rem demonstrant non a græca grammatica alienam, sed apud Græcos non peculiari nomine, quod sciam, insignitam :

a) *Absolutum*[3] (verb., id est, inchoat., etc.), *ad aliquid finitum, ad aliquid infinitum*[4], *artificiorum* (verb.), *augendi genus, corporale*[5], *funebre, hortativum*[6], *incorporale*[7], *laudativum*[8], *locorum nomen, patrium* (= patriæ), *patriæ nomen, perfectum*[9] (cf. supra *absolutum*), *remissivum*[10], *ad sensum pertinens, subjectum, temporale*[11] (nom.);

b) *Ambiguum, communis* (conjunct.), *communis* (præpos.), *commune*[12] (verb.), *communis* (cas.), *confusa, finitiva*[13] (con-

---

1. A doctis tantum non sensu grammatico usurpatum.
2. Id. : a medicis.
3. Alio sensu a Græcis traductum inveniemus.
4. Ambæ dictiones ad alteras imitandas adhibitæ sunt.
5. A philosophis quoque usurpatum.
6. In rhetorica quoque usitatum.
7. A philosophis quoque.
8. In rhetorica quoque.
9. Alio sensu e Græcis traductum inveniemus.
10. A medicis quoque usurpatum.
11. Alio sensu e Græcis traductum inveniemus.
12. Id.
13. A Quintialiano ad rem rhetoricam designandam adhibitum.

junct.), *fixum, forma casualis, forma verb., media*[1] (conjunct.), *mixtum, mobile, principalis*[2] (conjunct.), *subsequens* (conjunct.);

c) *Gradus* (comparationis).

4° Quæ rem demonstrant aliter a Græcis, aliter a Latinis denominatam :

a) *Absoluta*[3] (spec. perfecti), *admonendi* (conj.), *comparativa* (conj.), *deminutum, exacta* (spec. perf.), *inchoatum* (temp.), *minuendi genus, subjiciendi* (conj.);

a') *Muliebre, virile*, **vox** (gall. *voix active, passive*);

b) *Activus*[4] (casus), *bipertita, commune* (genus = τριγενές), *conjunctio*[5] (accent.), *explanata, faciens* (nom.), *facticium*[6] (= primit.), *fictum a sono, flexus, inflexus, intellegibilis*[7], *media* (syll.), *nota vocis, ordo* (= declin.), *ordo* (verb.), *primitivus* (= positiv.), **proprium**, *quadripertita, quaternaria*[8], *quinaria*[9], *quinquepertita*[10], *senaria*[11], *significatio, simplex*[12] (forma casualis), *spiritalis*[13], *summus* (tonus), *ternaria, tripertita*;

c) *Aspera, cacumen*, **cardinalis**, *fastigium, fecundum, moderamentum, propagines, rigida, rusticus, sterile*, **virgula**;

d) **Antecedens**, *medius* (= comparativ.), *primus* (= positiv.), *secundus* (= comparat.), *tertius* (= superlat.);

e) *Anceps, genus*[14] (verb.), *gerundi modus* (= imperat.), *interrogandi casus, longa* (conson.), *mediæ potestatis vel significationis, modus, oblitterata* (spec. temp.), *patiendi* (nom.), *perpetuus, qualitas* (= mod.), *status*;

Obscura est « *adminiculandi vocabula* » dictio.

---

1. Alio sensu e Græcis traductum inveniemus.
2. Id.
3. Id.
4. Apud doctos solum.
5. Alio sensu e Græcis traductum.
6. Apud doctos solum.
7. Id.
8. Id.
9. Id.
10. Id.
11. Id.
12. Alio sensu e Græcis traductum.
13. Apud doctos solum.
14. Alio sensu e Græcis traductum.

B. Jam ad ea transeamus, quæ græcum reddunt vocabulum; in plures species illa quoque distribuere operæ pretium est :

1° Alia enim simplicia græca verba simplicibus reddunt :

a) *Ad aliquid, ad aliquid dictum, ad aliquid qualiter,* vel *quodam modo se habens,* **futurum**, *gentis* (pron.), **nomen**, *numeri* (pron.), **numerus**, *ordinis* (pron.), *qualitatis* (pron.), *quantitatis* (pron.), *quasi ad aliquid dictum, sexus,* **tempus**;

a') *Vox* (gall. *mot*);

b) **Acutus**, *brevis* (accent.), **brevis** (vocal. vel syll.), **gravis**, **longa** (vocal. vel syll.), *longus* (accent.), *media* (distinct.), *medius* (accent.), **natura**, *omne,* **punctum**.

Hæc quidem rerum grammaticarum simul et græcorum nominum sensum exprimunt; sequentia vero græcorum nominum potius quam rerum[1] :

c) **Liquida** (conson.), *rectum* (verb.), *rectus* (casus), *rectus* (modus), *supinum* (= neutr. verb.);

e) **Genus** (gall. *genre*), *levis, liquida* (vocal.), *media* (vocal.), **verbum** (gall. *verbe*).

2° Pauca genetivo vel circumlocutione, quod græca adjectivo, aut rursus adjectivo, quod græca genetivo, reddunt :

a) *Disjungendi* (conj.), *dubitandi* (conj.), *faciendi* (verb.), *fatendi* (mod.), *hortandi* (mod.), *indicandi* (verb.), **loci** (adv.), *multitudinis* (numer.), *nominandi* (cas.), **numeri** vel *numerorum* vel *numerum signific.* (nom.), *optandi* (species), *ordinis* vel *ordinem signific.* (nom.), *patiendi* (verb.), *petendi* (conj.), *similitudinis* (pron.), *temporale* (adv.), *vocandi* (cas.);

a') *Dandi* (casus);

b) *Factum de verbo, jungendi vocab.*;

e) *Accusandi* (casus).

3° Compositis simplicia respondent :

a) *Hortativum*[2] (adv.), *hortativus*[2] (modus), *patrium* (= patronym.);

1. Eodem modo quæcumque sub *c, d, e* litteris distribuuntur, non tam rerum ipsarum sensum exprimere solent, quam græcorum nominum significationem vel tantum etiam figuram.
2. Apud doctos tantum.

b) *Copula, copulatum,* **primitivum**, *primitivum* (pronom.);

c) *Articularis* (vox), **muta**.

4° Simplicibus composita respondent :

a) *Consequens, definitivus, demonstrativum* (adv.), **demonstrativum** (pron.), **perfectum** (temp.);

b) *Commune* (genus), *commune* (pron.), **communis** (syll.), *distinctio*;

c) **Declinatio** (nom.), *declinatio* (verb.), **obliquus**.

5° Compositis composita ita respondent ut, non verbum pro verbo translata, sensum græcorum vocabulorum, non formam repræsentent :

a) **Collectivum**, *continens, dividuum, reciprocum* (pron.), *reciprocum* (verb.), *supereminens, superpositum*;

b) *Absolutum* (= neutr. v.), *dispositio, principale* (nom.), *producta, promiscuum*;

c) *Affectus,* **persona**.

6° Derivata derivatis ita respondent ut utriusque linguæ primitiva inter se quoque congruant :

a) **Activum**[1] (verb.), *agens* (verb.), **femininum**, *finitum* (pronom.), *finitus* (artic.), *finitivum* (adv. temp.), *finitivus* (mod.), *finitus* (mod.), *generale, gentile,* **masculinum**, *ratiocinativa*[2], *rationalis, significans,* **singularis**, *speciale*;

a') *Dictio,* **genetivus**, *litteratus, locutio, paternus, patrius, salutatorius*;

b) **Casus**, *facticium* (onomatop.), *litterata,* **positione**, *positura,* prima *positio, sonans, tenor,* **vocalis**;

c) **Articulus**.

7° Compositis composita ita respondent ut simplicia quibus in utraque lingua constant inter se ipsa congruant :

a) *Absolutum* (nom.), *absolutus* (positiv.), *effectiva*[3], **imperfectum**, *inclinatio, infectum, infinitum* (pron.), *infinitus* (artic.), *instans,* **præteritum**;

1. Apud doctos tantum.
2. Id.
3. Id.

b) *Absolutum* (pronom.), *collectiva* (conjunct.), *colligatio*, **compositum**, *comprehensio, conceptio*, **conjugatio**[1], **conjunctio**, *conexio*, **disjunctiva**[2], *duplex, illitterata*, **neutrum** (verb.), **neutrum** (genus), *simplex* (= positiv.), **simplex** (vocab.), *simplex* (pron.);

c) *Inclinare*, **indeclinabile**;

d) *Præpositio*;

e) *Immutabilis, inæquale*.

8° Composita quorum prior pars tantum cum græcis compositis congruit :

a) *Comparativum*[3] (adv.), *superlatio*;

a') **Comparativus**[3] (gradus);

b) *Anceps* (vocal.), *constructio, correpta, disjunctio, infinitus, præposita, primigenium, subjecta*;

d) *Adjectio*;

e) **Circumflexus**.

9° Congruit tantum posterior pars :

a) **Præsens**.

III. Quæ ad grammaticas res denominandas creata sunt vocabula, eo majoris videntur esse momenti, quod in his artem formandorum apud Latinos verborum deprehendere possumus, nec sine difficultate et hæsitatione verba græca translata esse in latina, ex Quintiliano[4], et Gellio[5] cognoscimus. In his autem enumerandis eundem ordinem tenebo quem in superioribus, easdemque prope species constituam.

A. Græcum nomen non reddunt :

1° Rem grammaticam significant a Græcis alienam :

a) **Ablativus**, *deminutivum* (adv.), *deminutivum*, vel *quasi deminutivum* (verb.), **frequentativum**, *impersonalis* (ger. et sup.), *jurativum, meditativum, personale* (adv.), *personative, superlativum* (temp.);

---

1. Apud doctos tantum.
2. Id.
3. Id.
4. I, 6, 28
5. XI, 16.

b) *Ablativa* (præp.), *impersonativus, participiale, participialis modus, retransitivum*;

e) *Gerundium, infinitivum* (verb.), *usurpativum*.

2° Rem demonstrant non a græca grammatica alienam, sed apud Græcos non peculiari nomine, quod sciam, insignitam :

a) *Adnutiva, adorativum, affectivum, auctiva, avonomicum, causale* (adv.), *communicative, concessivus, deceptivum, desiderativum* (verb.), **desiderativa** (forma), *discretiva, distributiva* (conjunct.), **impersonale, inchoativum** (verb.), *indignativa, inquisitivum, interrogativum* (verb.), *interrogativus* (mod.), **iterativum**, *matronomicum, minusquamfinitum, opinativum, personale* (verb.), *precativum, privativum* (pron.), *promissiva* (conj.), *responsivum, segregativum, separativum, superlativa* (conj.), *suspectivum, vituperativum, vocativum* (verb.), *vocative* (de adv.);

b) *Accusativa* (præp.), *adverbiale, casualis* (præp.), *inlativa* (conj., Plin.), *inseparabilis*, **interjectio**, *loquellaris, neutrale, neutrale* (verb.), *optativa* (conj.), *postpositiva* (conj.), *præpositiva* (conj.), *subjunctiva* (conj., de constr.), *subjunctiva* (conj., de ord.), *transgressivum*;

c) *Inarticulata*;

d) **Antepænultima, pænultima**;

e) *Depositivum, prælativa* (conj.), *supernexiva*.

3° Rem demonstrant aliter a Græcis, aliter a Latinis appellatam :

a) **Deminutivum** (nom.), *electiva, habitivum, inchoativum* (temp.), *locale* (nom.), *mandativus, nominatus*, **personale** (pron.), *personativum, prælativus, promissivus* (modus), *relativa ad aliquid* (conj.);

b) *Binaria, explanativa, imparilitas, impositicium, impositivum, interpunctio, neutropassivum, positivum* (nom.), *positivus* (grad.), *præverbium, provocabulum, submedia, unaria, unita, voculatio*;

c) *Derivativum* (vocab.), *derivativum* (pronom.);

e) *Recordativa* (spec. temp.), *stribiligo*.

B. Reddunt græcum vocabulum :

1° Compositis simplicia respondent :

a) *Dubitativum* (adv.), *dubitativa* (conj.), *dubitativus* (mod.), *voluntativa* ;

b) *Copulativa, junctivus* ;

c) **Articulata.**

2° Simplicibus composita, ex vocabulis apud Latinos compositis deducta, respondent :

a) *Congregativum*, **interrogativum** (adv.), **interrogativa** (conj.), **interrogativum** (pron.), *percontativus* ;

c) **Declinabilis**, *declinatus, inclinamentum, inclinatus* ;

e) *Abusivum*, **accusativus**, *incusativus.*

3° Composita compositis respondent, sed verbum pro verbo non traducta sunt, et græcorum nominum significationem potius quam formam repræsentant ; pleraque e compositis eodem sensu vocabulis a Latinis deducta sunt :

a) *Adquisitivum, adhortativus* (mod.), **adversativa**, *affirmativa, approbativa, confirmativum* (adv.), *confirmativa* (conj.), *dispertitivum*, **distributivum**, **imperativus**, **indicativus**, *minusquamperfectum* [1], *per obtinentiam*, **plusquamperfectum** [1], *præceptivum, pronuntiativus* ;

b) *Absolutivum, adjunctivus*, **conjunctivus**, **defectivum**, **participium** ;

d) *Subjunctivum* (pron.).

4° Derivata derivatis ita respondent ut primitiva utriusque linguæ inter se ipsa congruant :

a) *Causalis* (conj.), **dualis**, *locale* (adv.), **nominativus**, *numerale* (adv.), **numerale** (nom.), *optativum* (adv.), **optativus**, **ordinale** (nom.), *ordinativum* (adv.), **passivum**, **pluralis**, *plurativus*, **possessivum** (nom., pron.), **vocativus** ;

a') **Dativus**, *litterator, patricus, possessivus* (cas.) ;

b) **Casualis**, *finalis* (distinct.), *litteralis, scriptilis*, **verbale** ;

e) *Causativus.*

---

1. Ne generum numerus adaugeatur, hic pono *minusquamperfectum* et *plusquamperfectum*, quorum partes apponantur, non vere componantur.

5° Derivata e compositis latinis compositis græcis ita respondent ut simplicia quibus in utraque lingua constant inter se ipsa congruant :

a) *Completiva* [1], *comprehensivum* [2] (= collectivum), *comprehensivum* [2] (= continens), *expletiva* [3], *illativa* [4], *impertitivum* [4], *intentivum* [4], *redditivum* [5], *repletiva* [6], **relativum** [6] ;

b) *Accentiuncula* [7], *complexiva* [1], *compositicium* [1], *conexiva* [1], **consonans** [1], *deductivum* [8], **transitivum** [9] ;

c) *Refractivum* [5] ;

d) *Præpositivum* [10] (pron.) ;

e) *Adjunctiva* [11].

6° Composita non deducta e vocabulis latinis, sed e græcis ad res grammaticas nominandas ita traducta ut simplicia quibus constant in utraque lingua inter se plane congruant :

a) *Infinitivum* [12] (adv. temp.).

b) **Accentus** [7], *æquivocum, bisyllabus, bitempus, convinctio* [1], *diversiclinia*, **intransitivum** [12], *multivocum, plurivocum*, **pronomen** [13], *quadrisyllabus, subdisjunctiva* [14], *trisyllabus, uninominum, unisyllabus, univocum* ;

d) **Adverbium** [11].

e) *Insona* [12], *insonans* [12], *semisona, semisonans*, **semivocalis**, *subcommune* [15].

7° Composita eadem ratione e græcis traducta ; verum apud Latinos composita inveniuntur vocabula, e quibus derivata videntur, sed significatione differunt :

a) *Præsumptiva* [10] ;

---

1. Com- = συν-.
2. Com- = περι-.
3. Ex- = παρα-.
4. In- = ἐπι-.
5. Re- = ἀντι-.
6. Re- = ἀνα-.
7. Ad- = προσ-.
8. De- = παρα-.
9. Trans- = μετα-.
10. Præ- = προ-.
11. Ad- = ἐπι-.
12. In- = ἀ-.
13. Pro- = ἀντι-.
14. Sub- = παρα-.
15. Sub- = ἐπι-.

b) Decompositum[8], **denominativum**[8], *inscriptilis*[12];

e) Suppositivus[16].

8° Composita quorum prior pars tantum cum græcis compositis congruit; ceterum e compositis latinis derivata sunt :

a) Ablativa[17] (conj.), *abnegativum*[18] (adv.), *abnegativa*[17] (conj)., *æquiperans* vel *æquiparativum*, *continuativa*[1], *dehortativum*[19], *discretivum*[20] (adv.), *indefinitus*[12], **substantivum**[16], **superlativus**[21];

a') Appellatio[7], *appellativum*[7];

b) Conjunctiva[1] (conj.), *discretivum*[20] (pron.), **infinitivus**[12], *præjectiva* (litt.), *præpositiva*[10] (cons.), *præpositiva*[10] (voc.), *subjectiva* (litt.), *subjunctiva*[16] (cons., voc.), **subjunctivus**[16] (modus);

d) Additivum[11], **adjectivum**[11], *adjunctivum* (nom.), *appositivum*[11], *impositivum*[11], *subjunctivum*[16] (pron.);

e) Disertiva[20].

9° Composita quorum prior pars tantum cum græcis compositis congruit, quamquam e compositis latinis non derivata sunt :

a) Subcontinuativa[14];

b) Consignificantia[1], *subdistinctio*[16];

e) Insignificativus[12].

10° Congruit tantum posterior pars cum græco vocabulo et e latino derivatum est :

a') Commendativus.

Ergo ex 610 circiter grammaticis locutionibus quas inspeximus, 1 est semigræca, 45 mere græcæ, 325 e græcis traductæ; 235 tantum Latini per se usurpavisse videntur.

---

1. Cf. pag. 159, n. 1.
7. Cf. p. 159, n. 7.
8. Cf. p. 159, n. 8.
10. Cf. p. 159, n. 10.
11. Cf. p. 159, n. 11.
12. Cf. p. 159, n. 12.
14. Cf. p. 159, n. 14.
16. Sub- = ὑπο-.
17. Ab- = ἀνα-.
18. Ab- = ἀπο-.
19. De- = ἀπο-.
20. Dis- = δια-.
21. Super- = ὑπερ.

Quod si, quæ pluribus sensibus adhibitæ sunt, eas pro singulis tantum habemus, circiter 260 e græcis traduxerunt, 160 e suo fundo assumpserunt aut per se finxerunt. Hæ, in indice vocabulorum « italicis » litteris insignitæ, levioris momenti pleræque videntur, quia aut non de rebus peculiari nomine dignis usurpatæ sunt, aut, cum aliæ græcæ vel e græcis traductæ pro iis adoptatæ essent, non diu obtinuerunt. Restant nonnulla vocabula aut antiquioris usus (cognomen, elementum, littera, prænomen, vocabulum, vox, etc.)[1], aut de rebus a lingua græca alienis usitata (ablativus, deponens, desiderativa, frequentativa, gerundium, perfectum ulterius, etc.), et tum demum adhibita, cum græcæ latinæque litteræ fere coaluissent, nullasque non communes opes comparare possent (gradus, impersonale, interjectio, modus, positivus, etc.) : ut in lingua « technica » grammaticæ vix quoddam genuini Latinorum ingenii vestigium deprehendere possis.

Denique, quascumque dictiones in censum vocavi, eas quis primus usurpavisset, quantum potui, indicavi[2] : quamquam non pro certo colligendum est, a scriptoribus quos nominavi eas fictas aut in usum introductas esse, cum major pars veterum librorum perierit, nec tam scribendo quam viva voce docendo Latini grammatici fortasse suam peculiarem linguam formaverint atque auxerint. At saltem quomodo ea lingua crevisse nobis videatur, inde apparet. Itaque a quibus præcipuas dictiones primo adhibitas esse suspici possit, cursim hic commemorabo. Videntur esse :

Lucilii, *brevis*, *longa syllaba*;

Varronis, *accentus* (?), *accusandi casus*, *accusativus*, *appellandi*[3] *vocab.*, *articulus*, *augendi genus*, *bisyllabus*, *casualis*[4],

---

1. Ea non vere atque unice grammatica sunt.
2. Adnotavi plerumque, qui grammatici inde a Varrone usque ad artigraphos IV sæculi, additis insuper Cominiano, Donato ac Prisciano, singulis usi essent. « In Indice Auctorum » enumeratæ sunt paginæ in quibus cujusque grammatici nomen laudatum est : sic reperiri possunt omnes dictiones quas cuique attribuendas credidi.
3. Inde appellativum nom., ap. Roman.
4. Inde casualis præp. (IV sæc.).

casus, compositicium, dandi casus, dativus (?), *declinare, declinatio, faciendi verb., finitus*[1] *artic., futurum temp., genus, grammatica, grammaticus,* ὁμωνυμία[2], *imperandi spec., impositicium, impositum voc.*[3], *inchoatum verb.*[4], *indicandi verb., infectum verb.*[5], *infinitus*[6] *artic., jungendi*[7] *vocab., minuendi genus*[8], *neutrum gen., nomen, nominandi casus, nominativus, obliquus casus, optandi spec.*[9], *oratio, partes orationis, persona, perfectum verb., patiendi verb.*[10], *participium, participialis, præsens, præteritum temp., prima persona, pronomen, prosodia, quadrisyllabus, rectus casus*[11], *secunda persona, simplex vocab.*[12], *singularis,* συνωνυμία[13], *temporale verb.*[14], *tempus, tertia persona, trisyllabus, verbum, vocabulum, vocandi casus, vocativus*[15] (?);

Nigidii Figuli, *tonus, vocalis*[16];

Ciceronis, *barbarismus, instans temp., interpunctio, numerus, præpositio, producta voc., solœcismus*[17];

Verrii Flacci, *ablativus, femininum, genetivus, masculinum, muta, pluralis, semivocalis*[18];

Plinii, *activum verb., adverbium, conjunctio, deminutivum,*

---

1. Inde finitus diversis sensibus (cf. Indicem vocab.).
2. Inde homonymum, ap. Plin.
3. Inde positivus (cf. Indic. vocab.).
4. Inde inchoativum temp., inchoativa forma (cf. Indic. vocab.).
5. Inde imperfectum (cf. p. 95).
6. Inde infinitus mod., etc. (cf. Indic. vocab.).
7. Inde conjunctio.
8. Inde deminutum, deminutivum.
9. Inde optativus mod., etc. (cf. Indic. vocab.).
10. Inde passivum, ap. Plin.
11. Inde rectus mod., rectum verb. (cf. Indic. vocab.).
12. Cf. diversos sensus in Indic. vocab.
13. Inde synonymum.
14. Inde temporale adv., nom. (cf. Ind. vocab.).
15. Deprehenduntur præterea ap. Varr. : *Adminiculandi vocab., collatio, communis cas., contentio, contraria verba, copula* (= *conjunctio*), *declinatus, fecundum, inclinare, latinus cas., medius gradus, muliebre gen., multitudo, nominatus, nothum nom., patricus cas., præverbium, primigenium, primus grad., propagines, provocabulum, respondendi spec., rogandi spec., secundus grad., sextus cas., sexus, sterile, tertius gr., virile.*
16. Non dubito tamen quin hoc vocabulum ante Nig. Fig. in usu fuerit. Sunt ejusdem : *accentiuncula, copula* (compos.), *inclinamentum, interrogandi cas., moderamentum, positus, princeps litt., subdita litt., summus tonus, voculatio.*
17. Præterea, *consequens, copulatum. Barbar.* et *Solœcis.* sunt Cornificii.
18. Præterea *colligatio.*

derivativum, homonymum, monosyllabus, passivum verb., relativa conj.[1];

Palæmonis, *appellatio, causalis conj., comparativus grad., commune gen.*[2], *compositum vocab., copulativa conj., correpta*[3], *deminutum*[4], *derivatum*[5], *dictio, disjungendi conj.*[6], *disyllabus, dualis, dubitandi conj., epicœnon, expletiva conj., finitiva conj., finitivum adv., genus verb., infinitus mod.*[7], *infinitivum adv., interjectio, locutio, modus, natura long., negandi adv., neutrale nom., optativa conj.*[8], *possessivum nom., positio, personale adv.*[9], *promiscuum gen., qualitas* (= modus), *qualitatis adv., quantitatis adv., ratiocinativa conj., subjunctiva conj.*[10], *superlativus*[11], *tenor*[12];

Velii Longi, *consonans*[13], *diphthongus, disjunctiva conj., scriptilis vox*[14];

Scauri, *indicativus, infinitivus mod., liquida semivoc., locorum vocab.*[15];

Gellii, *antepænultima, circumflexus, frequentativa, pænultima*[16];

Julii Romani, *appellativum, causale adv., gradus, patronymicum, proprium nom.*

Apud artigraphos IV et V sæculi primum deprehendun-

---

1. Inde relativum pron. Sunt quoque Plinii : *faciens, facticium, impositivum vocab., inlativa conj., patiendi nom., repletiva conj., subjiciendi conj.*
2. Cf. Indic. vocab.
3. Hoc vocabulum credo, ut « producta », ante Palæmon in usu fuisse.
4. Cf. deminutivum ap. Plin.
5. Inde derivativum.
6. Inde disjunctiva conj.
7. Forsitan Palæmon, cum *finitivum* de conjunctione adverbioque, et *infinitivum* de adverbio usurpaverit, *infinitivum* quoque de modo dixerit.
8. Inde colligo et optativum de modo Palæmonem adhibuisse.
9. Inde personale pron.
10. Cf. n. 8 de optativo.
11. Inde superlativum tempus.
12. Deprehenduntur præterea : apud Quintilianum, *absolutus gradus, convinctio, fatendi modus, flexus accentus, septimus casus, status* (= modus); apud Charisianum Palæmonem, *admonendi, media, dubitandi, petendi, principalis, subsequens* conj., *affirmandi* adv.
13. Cf. p. 50, n. 2.
14. Præterea *explanata, significans* vox.
15. Præterea *præposita, præjectiva, præpositiva, subjecta, subjectiva* litt.
16. Præterea *agendi verbum, conexiva* conj., *indefinitus* mod., *principale* vocab.

tur[1] : *adjectivum, apostrophos, articulata vox, conjunctivus mod.*[2], *deponens, desiderativa form., fixum nom., gerundium, habitivum verb., inarticulata vox, imperativus mod.*[2], *imperfectum temp., impersonale verb., inchoativa form., indeclinabile vocab., interrogativum pron.*, etc.[3], *iterativa form., meditativa form., loquellaris præp., mobile nom., numeri nom., prælativus grad., plusquamperfectum temp., primitivus grad.*[4], *sonans litt., supinum, ulterius temp.* ;

Prisciani[5] sunt : *cardinalis num., collectivum nom., completiva conj., demonstrativum adv., pron., denominativum nom., distributivum nom., inseparabilis præp., intransitivum verb., numerale adv., nom., ordinale nom., polysyllabus, substantivum verb., transitivum verb., vox activa, passiva.*

---

1. Multo plura repperi vocabula, quæ his demum sæculis in usum venisse viderentur ; sed ea solum hic enumerantur, quibus usurpatis linguam grammaticam aliquid profecisse judico.
2. Hoc vocabulum non eodem tempore, quo « indicativus, optativus, subjunctivus », usurpatum fuisse haud verisimile est.
3. Cf. Indic. vocab.
4. Cf. Indic. vocab.
5. Cf. n. 1 et p. 83 sqq., 122, 134 sq., 139 sqq.

I. INDEX VOCABULORUM

II. INDEX AUCTORUM[1]

1. Cf. supra, p. 161, n. 2.

III. INDEX CAPITUM

VIDI AC PERLEGI :
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. III Idus Mart. ann. MDCCCXCIII,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

Nanceii, typis Berger-Levrault et sociorum.